DE

COMOEDIA TOGATA

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM UNIVERSITATIS PARISIENSIS

Edmond COURBAUD

SCHOLAE NORMALIS OLIM ALUMNUS

GALLICAE QUAE ROMAE EST SCHOLAE NUPER SOCIUS

LUTETIAE PARISIORUM

APUD A. FONTEMOING, EDITOREM

4, VIA DICTA LE GOFF

1899

DE COMOEDIA TOGATA

DE COMOEDIA TOGATA

TOURS, IMPRIMERIE DESLIS FRÈRES

DE
COMOEDIA TOGATA

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM UNIVERSITATIS PARISIENSIS

Edmond COURBAUD

SCHOLAE NORMALIS OLIM ALUMNUS

GALLICAE QUAE ROMAE EST SCHOLAE NUPER SOCIUS

LUTETIAE PARISIORUM

APUD A. FONTEMOING, EDITOREM

4, VIA DICTA LE GOFF

—

1899

SOCERO MEO G. BOISSIER

PATRI MEO

EDITIONES ET OPERA

QUAE IN HOC LIBRO LAUDANTUR

F.-H. Bothe, **Poetarum Latii scenicorum fragmenta**, volumen posterius, **Fragmenta comicorum**, Lipsiae, apud Weinedel., 1834.

J.-H. Neukirch, **De fabula togata Romanorum; accedunt fabularum togatarum reliquiae**, Lipsiae, apud Weidmannos, 1833.

Otto Ribbeck, **Scaenicae Romanorum poesis fragmenta**, volumen II, **Comicorum fragmenta**. Editio tertia (minor), Lipsiae, in aedibus B.-G. Teubneri, 1898.

Patin, **Études sur la Poésie latine**, 3e édition, Hachette, 1883, tome II, p. 302-332.

W.-S. Teuffel, **Geschichte der römischen Literatur**; traduction Bonnard et Pierson, d'après la 3e édition allemande, Paris, 1879-1883.

O. Ribbeck, **Geschichte der römischen Dichtung**, I, **Dichtung der Republik**, Stuttgart; traduction E. Droz et A. Kontz, Leroux, 1891, p. 247-257.

S. Dosson, **Bulletin mensuel de l'Académie de Clermont**, 1892, p. 195-205.

T. Macci Plauti, **Comoediae**, ex recensione Georgii Goetz et Friderici Schoell (editio minor), Lipsiae, B.-G. Teubner, 1893-1896.

P. Terenti Afri **Comoediae**; iterum recensuit A. Fleckeisen, Lipsiae, B.-G. Teubner, 1898.

Ceterorum comicorum **fragmenta** apud O. Ribbeck, opere supra citato.

PROOEMIUM

§ 1.

Quae de fabulis togatis antiqui tradiderunt, ea non magis fusa et explanata ad nos pervenisse saepius desideres. Sed si breviora pleraque sunt testimonia, plurima tamen apud auctores reperiuntur; ex quo iam nunc suspicari licet, non omnino indignum esse hoc comoediarum genus, cum haud pauci ad id respexerint, ad quod nos quoque respiciamus. Neque inter infimos, qui de Togatis aliquam fecerunt mentionem, numerantur. Ut nonnullos proferam, et Cicero, veterum ille diligentissimus amator, multis operum locis[1], et Seneca, qui Togatas laudat quod severitatis aliquid habuerint[2], et Quintilianus[3] et Iuvenalis[4], omissis omnibus grammaticis ad quos ea res potissimum pertinet, universis Togatis vel saltem Afranio, praecipuo Togatarum auctori, animum attenderunt.

Sed ex omnibus illis testimoniis, quamvis non contemnendis, nullum magis annotandum esse facile mihi dabitur quam id quod de eadem re Horatius reliquit. Cogitantibus enim Horatium mediocriter antiquitatis studiosum se praebuisse, et, quotiescumque in Sermonibus vel Epistolis vel Arte poetica occurreret occasio, non potuisse quin maligna quadam voluptate veteres poetas, Naevium[5], Ennium[6], Lucilium[7] praesertim atque Plautum[8], recentiorum defensor lacesseret, haud parvi esse ponderis videbitur laus illa qua fabulas togatas sic prosequitur:

> Nec minimum meruere decus vestigia graeca
> Ausi deserere et celebrare domestica facta,
> Vel qui Praetextas vel qui docuere Togatas[9].

[1] Cicero, *Pro P. Sest.*, LV, 118; *de Fin.*, I, 3, 7; *Brutus*, XLV, 167. — [2] Seneca, *Epist.*, VIII, 8. — [3] Quintil., X, 1, 100. — [4] Iuvenal., *Sat.*, I, 3. — Vide quoque Vell., II, 9, 3; Suet, *Nero*, 11; Gell., X, 11, 8, et XIII, 8, 3. — [5] Horat., *Epist.*, II, 1, 53. — [6] Id., *Sat.*, I, 10, 54; *Epist.*, I, 19, 7; II, 1, 50; *A. P.*, 56 et 259. — [7] Id., *Sat.*, I, 4, 6 et 57; I, 10, 2, 53, 56, 64; II, 1, 17, 27, 62, 75. — [8] Id., *Epist.*, II, 1, 58, 170; *A. P.*, 54, 270. — [9] Id., *Ars Poetica*, 286 sq.

Unde autem fiat ut tam benigne de Togatis senserit et ab usitata discesserit severitate, mirari desines, si memineris quantum imitatores, servum pecus, semper oderit. Nullos contra pluris facit quam qui de suo, quod dicunt, non de alieno proferunt, neque in alicuius magistri verba iurare solent, sed sibi ipsis innituntur. Quas quidem proprias nec aliunde petitas virtutes Togatis inesse, versibus supra usurpatis profitetur. Declarat illas non circa vilem patulumque orbem moratas esse, sed, imitatione Graecorum relicta, aliud atque adhuc factum esset, facere conatas : quod laudandum esse putat, etiam apud veteres. Nostrum erit postea videre quid de illa Horatii opinione sit iudicandum. Quod ad praesentia attinet, nobis satis est ostendisse fabulas togatas minime spernendas esse, cum tam severi aestimatoris fastidia vicerint.

Nonne praeterea id, quod laudat Horatius, nos recentiores ad studium huius comoediae potissimum allicere debet? Quid enim aliud hodie requirimus, cum scripta ad nonnullum populum pertinentia legimus, nisi qua ratione hic populus mores suos et indolem propriam et quidquid habeat peculiare expresserit. Non quibus facultatibus similis sit aliis populis, sed quibus a ceteris abhorreat, id nos potissimum delectat. Togatae autem fabulae, confidenti saltem Horatii versibus, magis quam Palliatae fidelius e graeco expressae, romanam originem redolere et nescio quem vernaculum saporem videntur retinere. Tanto magis illis operam demus, ut, si concludamus Horatio assentiendum esse, haec nostra studia, praesertim genuinis virtutibus gaudentia, expleantur.

Nec tantum propter se ipsae dignae sunt Togatae quae legentem detineant, sed etiam quia cum quaestione latius patente coniunguntur et aliqua ex parte ad totam romanarum comoediarum historiam pertinent. Terentio enim mortuo, non admodum quidem mortua erat fabula palliata, sed brevi moritura tempore et, quodcumque supererat vitae, id languide et obscuriorem in modum tractura. Mox etiam Palliatae non iam in theatro spectandae, sed in auditorio, coram quibusdam eruditis et litterarum graecarum avidis hominibus, recitandae plerumque tradentur, ita ut eas post Terentianum aevum a multitudine quasi pro nihilo ductas fuisse dicere liceat [1]. Cum autem multitudo comicis fabulis diu carere non pos-

[1] Nonnullos quidem proferas qui, post Terentium etiam, in Palliatarum genere colendo perseverant*. Ex quibus, Augusti aetate, Fundanius, dum

sit, illud tunc ambigebatur quidnam, Palliata iam exhausta vel parum vigente, in scaenam proditurum esset. Nec mirum igitur exstitisse his temporibus scriptores, qui duabus diversis viis, sed eadem re utrisque proposita, in locum vacuum succedere conati sint. Utrique enim, quia deficiente spectantium favore Palliata ceciderat, id omnium primum studebant, ut populo placerent. Alteri autem, magis plebeiis moribus accommodando genus quod elatius et delicatius erat, alteri contra magis patribus digna reddendo ea quae ad tunicatum vulgus et plebeculam solam aptiora erant genera, hanc popularem gratiam et prosperum exitum se assecuturos esse sperabant. Illi Togatas tabernarias, hi Atellanas et mimos, nunc quidem correctos et ad regulas artis compositos, docuerunt. Unde apparet, vergente in finem sexto post u. c. saeculo vel septimo ineunte, dum poetae multa undique enitebantur ut senescentem comoediam reficerent et ad alteram revocarent iuventutem, togatas fabulas, huius incepti participes, cum tota hac comoediae mutatione quam aptissime cohaerere neque sine detrimento posse ab universo separari. Ex palliata igitur fabula Togatarum originem petemus, et, post splendidiorem sed brevem cursum, illas videbimus Atellanis praesertimque Mimis obumbratas evanescere : itaque et de Palliata et de mimis quadam ex parte nobis tractandum erit.

meretrices argutas et senes a servis elusos in scaenam reponit,

comes garrire libellos
Unus vivorum

potuisse ab Horatio dicitur (*Sat.*, I, 4, 41) ; ac multo post, Traiano principe, Plinius (*Epist.*, VI, 21) maximis laudibus prosequitur Vergilium Romanum, quod, ad exemplar veteris comoediae, « Menandrum aliosque aetatis eiusdem aemulatus », comoedias scripserit, « quas inter Plautinas Terentianasque numeres ». Putare autem licebit Horatium Pliniumque, de amicis loquentes, per amicitiam adductos fuisse ut maiorem aequo virtutem huic atque illi concederent; nullam enim de Fundanio Quintilianus (X, 1), omnium romanorum curiosus ingeniorum, mentionem facit. Dein, etiamsi illi poetae plus ingenio valuissent, cum intra parietes privatos sese continuerint contenti paucis auditoribus, nihil eorum fabulae ad populum spectaverunt. Denique animadvertendum est quam pauca nomina ad nos pervenerint. Si duos vel tres exceperis, quem alium commemorabis? Pomponius Bassulus, ex Apulia oriundus (sub fin. primi post Ch. n. saeculi), qui in sepulcri titulo dicitur « Menandri paucas vortisse scitas fabulas et ipsus etiam sedulo finxisse novas, ne more pecoris otio transfungeretur » (C. I. L., IX, 1164), nobis est cetera plane ignotus. Ex hac ergo paucitate merito coicies palliatam comoediam tantum non cum Terentio cecidisse.

* Omittimus Turpilium, Iuventium, Valerium et quosdam alios Terentianae aetati suppares.

Ut vero argumentum nostrum fusius patet quam summatim praestringenti videbatur, sic certis demensisque finibus sponte sua terminatur. Quamvis profecto difficile sit tempora tam accurate quam velles notare, et quo anno natae sint, quo anno finem habuerint Togatae dicere, illud saltem exploratum habemus et eas non Terentio seniores esse et, imperante Sulla, iam desiisse apud populum gratia valere. Itaque non multum errabimus, si illas circa septuaginta vel octoginta annos, id est ab ultimis sexti saeculi annis usque ad tertiam septimi partem, non vixisse quidem (diutius enim vixerunt), sed floruisse dixerimus [1]. Quo spatio temporis ineunte, Roma, devicto Hannibale, devictis Philippo et Antiocho, nec ullo hoste in Italia vel circa Italiam relicto qui adversetur, iam ad altiora tendit et, Carthagine, Corintho, Numantia eversis, totius imperium affectat orbis. Sed dum praeclara illa foris geruntur, domi saeviunt discordiae, seditiones, bella intestina, et turbulentissima fit haec annorum series ; populi Italici ius civitatis et partem potestatis poscunt ; plebs et nobiles inter se de imperio certant, varia certaminis fortuna ; nunc hi, nunc illi potiuntur rerum et victoria crudeliter abutuntur. Cuius aetatis, id est Gracchorum, Marii Sullaeque, aequales sunt nostri Togatarum auctores.

Illud postremo nobis contingit ut argumentum circa tria scriptorum nomina totum contineatur, nec huc aut illuc legentem trahat, sed facile uno aspectu comprehendatur.

§ 2

Utinam vero magis incorrupti integrique nobis servati essent tres illi Togatarum auctores ! Ex omnibus fabulis quas scriptitarunt (quarum non parvus fuit numerus) nihil aliud quam tituli et paucae reliquiae propter invidiam temporum superest. Trunca fragmenta, disiectorum membra poetarum, sola colligi potuerunt, et, nisi fuissent grammatici, vocabula rara et pervetusta obsoletaque diligenter requirentes, etiam periissent reliquiae. Hi enim, exceptis nonnullis testimoniis e Cicerone vel Suetonio petitis,

[1] Ut omnia diligenter referre coner, circiter ab anno u. c. DXC, sive ante Ch. nat. CLXIV, usque ad annum u. c. DCLXXVII, sive ante Ch. nat. LXXVII, quo anno, ut refert Hieronymus in Chronico Eusebiano, « T. Quinctius Atta, scriptor Togatarum, Romae moritur. »

quidquid conservatum est tradiderunt, Varro scilicet et Valerius Probus et Gellius et cuncti qui multi ultimis Romae saeculis floruerunt. Quos cum longum sit enumerare, tantum duos commemorabo per quos longe plurima ad nos pervenerunt, Charisius praesertimque Nonius Marcellus [1].

Sed hoc habet res vitii. Cum enim veteris linguae unice curiosi sint grammatici, non propter leporem elegantiamque, quos e Togatis sumpserunt locos, referunt, nec quod indolem personarum vel mores romanos egregium in modum exprimant, sed quia vel sententiam antiquius dictam vel figuram non iam in communi usu et sermone positam vel nescio quid insoliti continent. Ex quo fit ut saepius hi loci parum delectationis animo lectoris afferant, et, apti quidem ad alliciendum eum quem rara tantum et grammatica iuvant, virum proprie litteratum, qui formare et exornare iudicium suum potissimum studet, minus retineant. Si ergo anquires quale fuerit hoc comoediarum genus, qua vi comica propria eminuerit quisque Togatarum scriptor et ab aliis discrepuerit, plerumque, cum nulla integra remanserit fabula, coniectura uti cogeris nec quidquam certi poteris proferre. Illud vero periculosum, ne coniectura tunc abutaris, et, nimia cupidine ea quae deficiant restituendi inductus, multa praeclara quidem sed ficta et inania excogites quae falsam fortasse huius comoediae speciem traducant. Non committemus igitur, pro nostra parte, ut in hoc vitium cadamus; sed quam poterimus prudentissime, quoties occurrent tenebrae, incedemus; praesertimque, rati non esse indecorum quaedam nescire, libenter ignorantiam confitebimur, et potius tacebimus quam omnia quocumque modo affirmare et temere ariolari velimus. A qua scribendi regula cum haud semel discesserit Neukirchius [2] et parum cautum se praebuerit, merito reprehendatur.

Alia denique nos manet molestia, quod fragmentorum textus non stabiliter est constitutus et diversae editiones non de versibus tantum, sed de titulis etiam fabularum inter se plus aequo dissentiunt [3]. Ex quibus editionibus novissimam, quae et prudentissima est, potissimum sequemur. Nam saepius Bothius magis

[1] Vide annotationes apud Ribbeckium, recentissimum Togatarum interpretem. — [2] Neukirch, *opere citato*. — [3] *Ilarubra* Titinii apud Neukirchium et *Insubra* apud Ribbeckium; *Pyrrhia* eiusdem Titinii apud Neukirch., *Prilia* apud Ribbeck., etc.

ex animi libidine quam ex sano iudicio vulgatas lectiones corrigit et scripturas quasdam, verbis ipsius Nonii vel alicuius alius grammatici damnatas, recipit, ita ut illum errare manifesto appareat [1]. Neukirchium vero, quocumque nos velit ducere, sequi non possumus, quippe qui nimis multa audeat [2] et fabulas totas ex uno fragmento, imo ex uno versu aedificare non dubitet [3]. Maiorem contra fidem Ribbeckio facimus, qui, cum nescit, nescire se fatetur. Quibusdam enim annotationibus agnoscit aequo animo se nihil « in his tenebris » certi proferre posse [4], atque, ut eius verbis fere utar, « plus unam saepe ariolandi viam patere, se autem restituere versus et sententias quam lenissime conatum esse [5] ». Unde evenit ut plus ponderis conferat locis, ubi quid affirmare sustinet.

Unum adiungemus, iam in longius tracto hoc prooemio, non intactam omnino materiam esse quam tractandam suscepimus. Idem enim, de quo supra diximus, Neukirchius, et vir de litteris romanis optime meritus, Patin, et novissime Dosson huic rei haud segnem operam impenderunt [6]. Sed Dosson et Patin non plus quam aliquas paginas de hac quaestione scripserunt ; eam igitur non possunt, quamvis multa optima uterque dixerit, totam explicavisse. Quod ad Neukirchium pertinet, Togatarum nomen multo latiore et falsa, nostra quidem sententia, significatione usurpavit, dum omnes fabulas quae sunt romani argumenti, et tragoedias et comoedias simul, hoc eodem vocabulo comprehendit ; ex quo de Togatis angustiore sensu dictis non tam fuit copiosus quam oportuit. Itaque, ut gratias, quas cuique debemus, quotiescumque locus occurrerit, habebimus, sic a nostro proposito quaedam de Togatis scribendi nos illi non deterruerunt, neque inutile nobis visum est, si eamdem materiam, paulo fusius etiam et diligentius quam adhuc factum erat, repetere conaremur.

[1] Bothe, *op. citato*, in *Quinto* Titinii, fragm. III, IV (p. 67) ; in *Psaltria* eiusdem, fragm. V. — [2] Exempli causa, in *Gemina* et *Pyrrhia* Titinii, in *Divortio* Afranii. Neukirchius « in narrandis fabulis nimium quantum allucinari solet » : sic loquitur Ribbeckius, edit. 2ª (*maior*), p. 172. — [3] Vide *Quintum* Titinii. Neukirch, *op. cit.*, p. 130. — [4] O. Ribbeck, edit. 2ª (*maior*), p. 293 ; de Laberii fragmentis agitur. — [5] *Ibid.*, p. 201, ad vers. 288 ; et edit. 3ª (*minor*), p. 239. — [6] Indicem editionum et operum vide supra, p. VI.

CAPUT PRIMUM

QUOMODO DEFINIENDA SIT TOGATA

I

Togatas a togà, propria Romanorum veste, nomen duxisse, quia eas agebant histriones toga vestiti, per se manifestum est; unde fabularum argumenta e vita romana sumi et mores habitumque Romanorum referre facile concluditur [1]. Qua de re cum omnes critici consentiant, merito hoc genus Palliatis opponunt, quae, a pallio, propria Graecorum veste, nominatae et ab histrionibus actae graeco habitu ornatis, mores et ritus graecos ex contraria parte repraesentabant. Hinc personae externae externaeque consuetudines in scaenam inducuntur, illinc domesticae personae, cives togati, forenses tabernae, vitae cotidianae vera imago.

II

§ 1. — Hactenus omnia clara apparent et a cunctis conceduntur ; nunc autem ad controversias et lites veniamus. Duae sunt enim togarum species, aut toga vulgaris, inornata, qua pace domique omnes Romani privati, etiam humili loco, utebantur, aut toga praetexta, id est candida clavo purpureo, quam magistratus, senatores et sacerdotes gestabant[2], altera ad humile et comicum genus apta, altera contra dignitate personarum tragoediae propior. Haec cum ita sint et utraeque fabulae ab histrionibus

[1] Diomedes, III, p. 489, ed. Keil. — [2] Addamus pueros ingenuos usque ad duodevicesimum annum.

togatis agantur, nonne aequum videtur omnes argumenti romani fabulas, sive ad comicum sive ad tragicum genus pertinentes, pariter togatas nominari? Ita, si hanc sententiam sequamur, fabula togata non solius comoediae romanae sed generale fabularum nomen sit quod in species quasdam dividatur, et comoedia romani argumenti, nomine Togatae iam destituta ne quid ambigui maneat, nunc Tabernariae nomen a tabernis, in quibus habitare solent introductae personae, accipere debeat. Quam quidem opinionem maxime professus est Diomedes, qui distincte scribit « primam speciem esse Togatarum quae Praetextatae dicuntur... secundam speciem Togatarum quae Tabernariae dicuntur [1]. » Quin imo, non hoc discrimine contentus, idem Diomedes, ut Togatarum, sic Palliatarum significationem dilatare in animum inducit et vult diversas quoque Palliatarum species esse, ita ut eae non tantum expressas e graeco comoedias sed omnes graeci argumenti fabulas comprehendant.

Nec latet cur id faciat. Hoc enim modo fabulae romanae graecis facillime et quasi sponte sua opponuntur optimeque respondent; hoc modo omnia distribuuntur et lucide ordinantur et animo legentis satisfaciunt : « Poematis dramatici vel activi, inquit Diomedes, genera sunt quatuor ; apud Graecos tragica, comica, satyrica, mimica ; apud Romanos praetextata, tabernaria, Atellana, planipes [2]. » Et infra : « Togatarum fabularum species tot fere sunt, quot et palliatarum [3]. » Negat Neukirchius priorem hunc locum sic intelligendum, neque Diomedem scribere potuisse Atellanas et planipedias [4] in numerum Togatarum referendas [5]. Non autem video cur Neukirchius id neget, neque, si dicit neminem alium veterum, excepto Diomede, idem scripsisse, hoc sufficit ut eius sententiae assentiamur. Nam optime fieri potuit, ut a Diomede ipso, quippe pulchri ordinis studiosissimo, haec fabularum distributio excogitata sit, ut paria paribus referrentur et omnes cuiusque generis partes diligentissime quadrarent. Non ergo cum Neukirchio putabimus locum illum ab aliquo librario corruptum corrigendum esse, sed pergemus dicere Diomedis sententiam hanc esse : scilicet, ut paucis repetamus, Togatarum

[1] Diomedes, III, p. 489 Keil. — [2] Id., p. 482. — [3] Id., p. 489. — [4] Hoc vocabulo *planipedia* utor, quippe commodo, quanquam apud Donatum solum reperitur. — [5] Neukirch, *De fabula togata*, p. 53.

nomine totum romanarum fabularum genus comprehendi, cuius quatuor sint formae (praetextata, tabernaria, Atellana, planipedia) cum quatuor theatri graeci formis mirum in modum congruentes.

Non autem, quia Diomedis locum integrum servamus, illum probaverimus. Nam ea ipsa distributio et oppositio generum inter se, cum graecorum tum romanorum, perfectior est et maiorem artem redolet quam ut veritati respondeat nec suspecta merito videatur; non ex natura oritur, sed ex officina grammaticorum : res enim plerumque non tam simplici ordine disponuntur. — Hoc vero, quod statim suspicamur, certissimum fit, si cogitamus, quando fabulae romanae natae sint et, serius, apud aureae aetatis scriptores, nunquam omnes istas sive tragicas sive comicas fabulas Togatarum nomine aeque fuisse comprehensas, sed comoedias tantum romanas Togatas dictas esse : quod relata iam a nobis testimonia Ciceronis et Horatii satis superque probant [1]. Neukirchius ipse nobiscum assentitur, cum multo posterioribus solum temporibus nomen fabulae togatae a Festo et Diomede et grammaticis aequalibus latiore significatione usurpatum esse declarat [2]. Et novum eiusdem rei documentum affert, ex istis grammaticis ipsis petitum. Nam apud Diomedem legitur, Togatas, « cum sit generale nomen, specialiter tamen pro Tabernariis communi errore usurpari [3] », et apud Donatum Togatas (id est comoedias) « a nonnullis Tabernarias » vocari [4]. Unde merito concluditur, ante Diomedis Donatique aetatem, vel ea ipsa illorum aetate, Togatas latiore significatione non in communem loquendi usum receptas solasque comoedias adhuc a Romanis eo nomine appellatas fuisse.

Quin igitur Diomedes erraverit hanc fabularum scaenicarum tabulam de qua supra diximus excogitando, nemo est qui possit etiam dubitare, cum ea quae excogitaverit neque per se sint verisimilia neque apud ullum priorum aetatum scriptorem, ex Diomedis ipsius consensu, commemorata reperiantur.

Nonne autem mirum est, cum res ita sese habeant, Neukirchium et agnovisse quantum veritati repugnet Diomedis elucubratio, et tamen quadam ex parte eius sententiam secutum esse? Postquam enim contendit recte loqui eum qui fabulas Afranii Togatas

[1] Vide, p. VII. — [2] Neukirch., *op. cit.*, p. 22 et 45. — [3] Diomed., III, p. 489 Keil. — [4] Donatus, *De comoedia.*

pro Tabernariis appellaverit, nihilominus censet Togatarum nomen duplici significatione, angustiore et latiore, posse usurpari, angustiore quae prioribus temporibus Afranii, Horatii et Ciceronis sola exstitit, ad solam comoediam romanam pertinente, latiore quae, a grammaticis tertii quartique saeculi ficta, generaliter omnes fabularum latinarum species, et tragoediam (sive Praetextam) et comoediam (sive Togatam proprie dictam, sive, ut vult Diomedes, Tabernariam) comprehendit. Nec posteriorem hunc sensum peius quam priorem illum excipit, quanquam inter se quodam modo pugnant, et per totum opus de universis argumenti romani fabulis disserit, quasi aeque omnes vere Togatae dicendae sint. « Non potest negari, inquit, quin optimo iure Praetextatae Togatarum nomine una comprehendantur [1]. » Nos autem audaciores Neukirchio vel potius magis nobiscum consentanei erimus, nec quidquam reipsa profitentes valere de hoc loco auctoritatem Diomedis, totam reicere et ducere pro nihilo non dubitabimus. Illam solam igitur angustiorem significationem, Horatio et aliis gravissimi testimonii scriptoribus freti, retinebimus, scilicet Togatas nihil aliud esse quam *comoedias* romani argumenti.

§ 2. — Quod nunc ad Tabernarias attinet, de quibus supra in transcursu mentio facta est, non est cur, dictis quae iam exposuimus, in illis diu commoremur, nec plus ponderis huic vocabulo tribuemus quam tabulae ipsi Diomedis. Nam in illa tabula, cum fabula togata nomen generale fieret, aliud invenien-

[1] Neukirch., *op. citat.*, p. 46. — Quin etiam, longius progressus, Neukirchius (p. 34 sq.) enumerationi Diomedis, ut plane perfecta sit, addendum existimat aliud fabularum genus, a grammatico omissum, quod *trabeata* nominatur. Putat enim, cum trabea togae sit species praecipue equitum propria, Trabeatas quoque in Togatarum numerum esse referendas. Ita totum genus Togatarum in tres partes dividitur, quae tribus populi romani ordinibus respondent, atque, ut iam Praetextatae senatorio et Tabernariae plebeio, sic Trabeatae equestri ordini accommodantur. — Nos autem Trabeatas nihili faciemus et praetermittendas his de causis opinamur : primo, quod solus C. Melissus, Maecenatis libertus, in iis scribendis sese exercuit ; deinde, quod a nullo auctore, nisi a Suetonio (*De grammat.*, 21), aperte commemorantur. Neque his ipsis verbis : « Fecit (Melissus) novum genus Togatarum », Suetonius vult declarare omnes latinas cuiuscumque generis fabulas species Togatarum esse ; sed cum, aetate qua scripsit, solae etiamnunc comoediae argumenti romani Togatae appellarentur, hac dicendi ratione usus est, ut Trabeatas esse latinas quoque comoedias et quidem non multum Togatis ipsis absimiles significaret. Non ergo est cur istam fabularum formam diutius curemus.

dum erat nomen quo romani argumenti comoedia, quae sola antea dicebatur proprie Togata, nunc appellaretur; hanc igitur statuerunt grammatici Tabernariam novo nomine vocare.

Unde in mentem illorum id vocabulum venerit satis liquet, si ad humilem personarum condicionem respicias. Cuiusmodi enim homines in his fabulis introducerentur, cum Festus docet [1], tum tituli ipsi fabularum nobis servati testantur : de quibus cum postea longius locuturi simus, satis est nunc illas fabulas commemorare quae *Fullonia*, *Tibicina*, *Augur*, *Cinerarius*, *Psaltria*, *Libertus* inscriptae sunt. Si non omnes personae in illis prodeuntes ex isto infimo loco orirentur, at longe plurimae saltem ex pauperiorum turba et pullato popello et fricti ciceris nucisque emptoribus sumebantur. Quos quidem cunctos in humilibus aedibus habitavisse quae tabernae dicebantur, grammatici nos certiores faciunt. « Tabernae, inquit Isidorus, olim vocabantur aediculae plebeiorum parvae et simplices, in vicis asseribus et tabulis clausae [2]. » Et Diomedes eumdem fere in modum : In Tabernarias « humiles homines et privatae domus inducuntur, quae quidem olim, quod tabulis tegerentur, communiter tabernae vocabantur [3] ». Non satis proprie quidem definiuntur tabernae verbis Diomedis, cum tantummodo privatae domus appellantur ; nam privatae domus iam in palliatis comoediis apparebant et cuicumque civi in quacumque fortuna posito conveniunt. Sed quamvis parum aperte Diomedes sententiam explicaverit, illum idem quod dixit Isidorus voluisse dicere pro certo habeamus, atque plane illi assentiemur, si unum addemus : tabernas privatas domos esse, *in quibus praesertim opifices habitabant et institores*, vel, ut uno verbo omnia comprehendamus, *omnes tenuiore loco homines*. Ab his tabernis igitur grammatici Tabernariarum nomen duxerunt, ut comoediam huiusmodi pertinere potissimum ad plebem et ad summam theatri caveam significarent. Nobis autem, cum supra, invito Diomede, noluerimus omnes latinarum fabularum species uno Togatae nomine in latiorem sensum prolato comprehendi, nullum iam opus est aliud fingere vocabulum soli romanae comoediae tribuendum; sed illud quo antea, Horatii tempore, haec comoedia appel-

[1] Festus, *De verborum significatione*, v. Togatarum. — [2] Isidor., *Orig.*, XV, 2. — [3] Diomed., III, p. 489 Keil.

labatur[1], id est Togatae vocabulum, solum per totum hunc librum, reiecto Tabernariae nomine, servabimus.

Quae quanquam facile intelleguntur nec longiorem disputationem requirunt, examinanda tamen esse visa sunt, quia, cum ad idem comoediae genus appellandum duo diversa nomina (id est Togatae angustiore sensu vel Tabernariae) usurparentur, nonnulli etiam veterum ita decepti sunt ut duo esse reipsa diversa fabularum genera crediderint, et aliud Togatas, aliud Tabernarias esse voluerint. Inde fit ut in enumerandis latinis fabulis, iuxta Togatas, posuerint Tabernarias tanquam peculiare genus. Evanthius enim : « Illud vero tenendum est, inquit, post νέαν κωμῳδίαν Latinos multa fabularum genera protulisse : ut togatas, a scaenicis atque argumentis latinis; praetextatas...; atellanas...; rhinthonicas...; tabernarias, ab humilitate argumenti et stili; mimos...[2] » Et Donatus : « Comoedia multas species habet : aut enim palliata est, aut togata, aut tabernaria, aut Atellana, aut mimus, aut rhinthonica, aut planipedia[3]; » et alio loco, in commentario ad Terentii Adelphos : « Sicut apud Graecos δρᾶμα, sic apud Latinos generaliter fabula dicitur, cuius species sunt tragoedia, comoedia, togata, tabernaria, praetexta, crepidata, Atellana, μικτὸς, rhinthonica[4]. » Non vult Neukirchius veteres grammaticos « tam crasso modo errasse », et diligenter eos emendat[5]. Fac vero omnes illos locos a librariis esse corruptos (quod minime probatur), restat tamen ut nonnulli recentiores, his codicum lectionibus utentes, in errorem inducti sint. Nuper enim Patin[6], antiquis grammaticis auctoribus innixus, excogitavit comoediam romani argumenti in tres dividendam esse partes, quarum prima esset fabula trabeata, secunda fabula togata, tertia fabula tabernaria : illa tragoediae propior et ad urbanos homines, quales erant

[1] Ex celeberrimo Artis poeticae loco (v. 229):

Migret in obscuras humili sermone tabernas,

noli concludere iam Augusto principe romanam comoediam interdum quoque Tabernariam appellatam esse. Nihil enim aliud his versibus Horatius commendat, nisi ut dii heroesque in scaenam inducti sermone sibi conveniente semper utantur neque ea dicant vico Tusco et Velabro digna, quae homines natos in triviis et in tabernis viventes solum deceant. De dramate satyrico tantum, nullo modo de romana comoedia loquitur. — [2] Evanth., *De tragoedia et comoedia.* — [3] Donatus, *De comoedia.* — [4] Id., *ad Terent. Adelph.*, *Prolog.*, 7. — [5] Neukirch., *De fabula togata,* p. 48-49. — [6] Patin, *Poésie latine*, II, p. 302-304.

equites, accommodata, haec vero ad rusticissimum quemque infimamque plebem pertinens, togata denique media inter trabeatam et tabernariam, neque illius elegantiam neque huius rusticitatem redolens. Quod si Patin, vir summa doctrina, sic perverse credidit Tabernarias propria et peculiari vita praeditas diversasque a Togatis fuisse, non inutile erat dare operam ne quis alius forsitan idem peccaret.

Ergo, ut breviter ea quae sumus assecuti complectamur, primo Togatarum nomen nullis aliis fabulis nisi comoediis romani argumenti convenit, neque Praetextatae inter Togatas ponendae sunt; dein, non modo minime debent Togatae a Tabernariis discerni, cum utraeque ad easdem comoedias spectent, sed etiam solum Togatarum nomen retinendum est, cum Tabernariae vocabulum serioribus tantum temporibus a grammaticis fictum sit nec quidquam ad id vetus appellandum comoediarum genus valeat.

III

Reliquum est ut nonnulla addamus de quadam Theodori Mommseni opinione [1]. Qui quidem libenter consentit Togatarum nomen non esse maiore significatione dilatandum et in solas comoedias, remotis ceteris fabularum generibus, cadere ; sed de hoc dissidet quod non ad romanas, ut supra diximus, sed ad italicas comoedias illud vocabulum pertinere contendit. Italicos enim socios, qui nondum illis temporibus in civitatem recepti erant, Romanis proprie dictis vehementer opponit, neque Romanis sed sociis vult ea convenire quae scripserint Togatarum auctores. Qui ergo, si hanc sententiam sequamur, non magnae romanae urbis, ad Tiberim sitae, sed parvarum latinarum urbium, etiamnunc suis legibus quodam modo parentium, usus et mores et ingenium et vitam propriam rettulerunt, atque ab istis urbibus ipsis, nunquam autem a capite reipublicae, fabularum scaenam sunt mutuati.

§ 1. — Unde Mommsenus argumenta, quibus inniteretur opinio, traxerit, in aliqua annotatione operis [2] aperte signi-

[1] Th. Mommsen, *Römische Geschichte*, trad. Alexandre, t. IV, p. 227-229, — [2] Id., p. 227, annot. 1,

ficat. Quis enim nescit quanta cura vetuerint Romani suos ipsorum mores in scaena repraesentari, nedum sua vitia lacessi et derideri permitterent. Illis videbatur, si quis quem civem ad similitudinem naturae depictum in fabulam induceret et res domesticas aut publicas vel imaginem quamcumque vitae cotidianae fidelius exprimeret, inde futurum esse ut turbaretur patria, violarentur boni mores, horrendum nefas committeretur. Quanto magis licentia, qua quondam Aristophanes ceterique Veteris Comoediae poetae nominatim cives insectabantur et palam notabant infamia, aspere negabatur! Qui talia audebat, eum lex duodecim Tabularum graviter coercebat, quod mala condidisset carmina[1]. Nam cavebant aediles ne quid detrimenti gravitas populi romani caperet. Recens adhuc vigebat et tota ante omnium poetarum oculos obversabatur Naevii memoria qui, nobilem quemque, Metellos Scipionesque, aggressus et libera lingua de suo tempore locutus, primum duro carcere, dein exsilio multatus fuerat; nec quisquam iam erat qui tale periculum adire postea sustineret. Itaque Plautus, ne Metelli ipsi quoque darent malum, non ultra levissimos et in transitu dictos de aequalibus iocos progressus est, et, si quando excessit modum (quod raro fit), semetipsum propter audaciam increpans, ad ea permissa, quae nullum sibi damnum afferrent, redire cautus poeta festinabat:

> Sed sumne ego stultus, qui rem curo publicam,
> Ubi sunt magistratus quos curare oporteat[2]?

Unde hoc mirum evenit ut, quo tempore patria vix Hannibalem moenibus suis arcebat et gravissima tempestate fluctuabatur, fere nihil de republica, nihil de omnium anxietate reperiatur. Senatus autem populusque romanus culpandi sunt, non Plautus

[1] Cicero, *de Republ.*, IV, 10; Horatius, *Sat.*, II, 1, 82, et *Epist.*, II, 1, 152-154. Multum Ciceroni placet (*loco citato*) quod duodecim Tabulae talia vetuerunt: « Iudiciis, inquit, ac magistratuum disceptationibus legitimis propositam vitam, non poetarum ingeniis, habere debemus; nec probrum audire, nisi ea lege, ut respondere liceat et iudicio defendere. » Et supra: « Eiusmodi cives (id est improbos, in republica seditiosos) a censore melius est quam a poeta notari. » — [2] Plautus, *Persa*, I, 2, v. 76-77. — [3] In prologis tamen fabularum vota pro secundo belli exitu nonnunquam concipit; constat autem multum abesse ut omnes prologi e manu ipsius Plauti sint profecti. Praeterea, si ad eos tantum attendes quos non reiecerunt critici, in *Cistellaria* uberior est in precando poeta, sed in *Rudente* nihil habent vota eius quod satis definitum vel certum sit, ita ut aliquid insuper desideretur.

ceterique auctores, si nusquam Romani mores aperte libereque inducuntur, si semper graeca veste ornatae incedunt personae, si gloriatur poeta quod fabulae totae sunt graecae et recta via Athenis Atticis veniunt, si denique Athenae vel Sicilia, nunquam Roma, « quo illud graecum videatur magis », [1] scaenam ubi res geruntur suppedditant. Nam ut in theatrum romanum comoedia possit prodire eique aediles indulgeant, cogitur emigrare patria externoque sub sole argumenta quaerere fabularum et Romanos pro peregrinis barbarisque, non pro civibus, habere. Itaque si nonnulli poetae occurrunt qui rident aequales et, missis ambagibus, de moribus suae aetatis, de patrefamilias et matrona, de filiis filiabusque ingenuis copiosius dicunt, ex hoc ipso Mommsenus putat se merito concludere, haec atque talia, cum sint oculis subiecta Romanorum, minime ad Romanos spectare, neque, cum leges, usus, instituta peculiaria referant, instituta romana referre posse.

Huic inde profecto et quaerenti cuiusnam populi mores his in fabulis potissimum depicti sint, facile veniunt in mentem omnes illae civitates quibus Roma circumdabatur, quibusque innixa totam primo Italiam, deinde reliquum orbem subegit. Initio quidem nullos alios Roma habuerat socios nisi finitimos eiusdem stirpis ac familiae, id est Latinos vel, ut publice loquebantur, *nominis Latini* homines. Mox autem, in dies crescente potentia et finibus semper longius prolatis, ceteri in paeninsula habitantes, quamvis ex aliis generibus oriundi, paulatim in societatem recepti erant. Sabelli, Apuli, Etrusci, omnes uno eodemque vocabulo Italici dicebantur. Ex utrisque autem, sive Latinis sive Italicis, delectus militum conscribebantur qui in bello gerendo Romanos adiuvarent; qui quidem, cum usus togae sensim a Romanis ad cunctos finitimos et devictos populos patuisset, togati, ut verbis iuris propriis utar, appellabantur [2].

Tenemus nunc manifestam quam quaerebamus interpretationem. Cum supra probatum sit comoedias, quae togatae dicebantur, non potuisse circa romanos mores versari, cum ex altera parte compertum iam habeamus populos latinos aliquando togatos

[1] Plaut., *Menaechm.*, Prolog., 9. — [2] Id praesertim ex inscriptione ad legem agrariam pertinente intellegi potest, in qua de *formula togatorum*, id est, de sociis nominisque Latini hominibus conscriptis agitur. Cf. *Corpus inscript. latin.*, I, n° 200, v. 21, 50; p. 80 et 82.

fuisse dictos, nonne clarius luce apparet ad hos tantummodo fabulas togatas respicere, easque, quia mores habitusque Latinorum togatorum referrent, ex eo nomen suum traxisse? Ita censet Mommsenus et ad corroborandam opinionem profert celeberrimum illum Vergilii versum:

Romanos, rerum dominos, gentemque togatam[1];

n quo poeta, cum gentem togatam iuxta populum romanum posuerit, nihil aliud potuit significare nisi eam a Romanis esse seiungendam et solis Latinis convenire.

Denique, si tertio argumento etiamnunc opus est, titulos ipsos comoediarum inspiciamus; ex iis enim nonnihil de scaena fabulae cognoscere licet, quippe qui interdum ab ipso oppido, ubi agatur fabula, sumantur. Atqui cuncta haec oppida in titulis commemorata (Ferentinum, Setia, Velitrae, Brundisium, Ulubrae) aut Latina aut Italica oppida erant et certe iure italico administrabantur. Unde apparet Latinas gentes, non Romanos, his comoediis illudi. Ergo (sic enim colligit Mommsenus), quod in ipsa Urbe plane interdicebatur, illud in provinciis etiam ea aetate fieri poterat. Fuit autem tempus cum socii, qui anno DCLXIV u. c., sibi vindicantes iura semper a Romanis negata, rebellionem per totam Italiam fecerant, civitate donati fuerunt. Idem tunc cunctis Italiae urbibus, quod soli Romae antea, vetitum est, et comici poetae, non iam habentes unde scaenam fabularum mutuarentur, tacuerunt[2]: ea causa est cur, iam Sullae temporibus, desitae sint scribi comoediae togatae. — At, dices, Atellanae fabulae nihilominus vivere perseverarunt, imo ea praesertim aetate, quia scriptae nunc et magis regulis artis erant accommodatae, praeclarissimo nitore refulserunt. — Fatendum est; non autem ab aliqua latina urbe earum scaena petebatur, sed confugerat Capuam Atellamque, quarum condicio, illius in potestatem Romanorum redactae, huius nunc dirutae iacentisque, a ceteris urbibus longe differebat. Ambae enim ad Hannibalem defecerant, et eo crudelius hunc errorem luerant quo magis Romae trepidatum erat. Itaque, victo Hannibale, victores, ut id salubri exemplo in posterum ceteris esset,

[1] Vergil., *Aeneis*, I, 282. — [2] Gallia quidem Cisalpina civitatem non receperat et iure tantum italico, post sociorum bellum, fruebatur; licebat igitur poetis huius mores et ridicula depingere; sed longius ab Urbe distabat, et, quippe remota, non in se poetarum animum convertebat.

orbatas civitates bonis, iuribus, libertate, omnique modo depressas, sine ulla misericordia deridendas et iocis consectandas comicis auctoribus tradiderant. Atella etiam nomen, unde genus appellatum fuit, praebuerat. Quod autem de Atellanis dici potest, minime cadit in ceteras comoedias.

§ 2. — His diversis argumentis se probavisse sententiam putat Mommsenus. Quid respondebimus? — Illuc unde abiit redeamus. Romanos quidem per longum tempus a tragoedia comœdiaque cavisse et severas leges posuisse ne quis nimis ultraque permissum auderet, haud sane negaverim. Pernotum est illos, tamdiu fere quamdiu respublica manserit, nullum voluisse stare perpetuum theatrum, sed, extemporali scaena lignea contentos, usque ad Pompeium, quotiescumque spectacula darentur, aedificavisse quae statim ludis exactis diruerentur; Scipionem Nasicam, etiam anno sexcentesimo u. c., a Patribus impetravisse ut lapideum opus iam inchoatum solo aequaretur; ludis denique triumphalibus a Mummio post Corinthum devictam datis, tum demum gradus primum exstructos nec unquam antea, nisi stantes, homines mulieresque spectaculis adfuisse. Quid mirum tunc si priscorum severitatem morum et maiestatem populi romani et sanctitatem familiae intactam inviolatamque a poetis esse voluerunt? Animadvertendum tamen est eos lege duodecim Tabularum tantummodo sanxisse, ne comoedia, de quo vellet, *nominatim* diceret, vel, ut propriis verbis utar, *ne quis occentaret neve carmen conderet quod infamiam faceret flagitiumve alteri*[1]. Num autem ea interdictione non modo singulos cives nominatim, sed universos etiam mores romanos, nominibus civium sublatis, transferri in scaenam vetarent, id agitur.

Quin, etiamsi vetuerint, obliviscitur tamen Mommsenus (quod postea fusius monstrabitur) ea quae olim vigerent, mutatis temporibus, immutata fuisse et pristinam disciplinam paulatim deminutam in mollitiam corruptelamque lapsam esse. Obliviscitur Catonem, cum censor esset, leges haud semel in mulieres tulisse, quas profecto non tulisset, nisi in peius privati mores et vita domestica ruissent; Lucilium paulo post liberrimo sermone usum esse, nec a familia lacessenda abstinuisse, nec temperavisse quin vitiosos omnes, et moechos iuvenes et

[1] Schoell, *Legis duodecim Tabul. reliquiae*, tabula VIII, 1, p. 140.

mulieres munditiis deditas, dicacibus versibus insectaretur. Quae quidem licentia et deridendi omnia facultas mox in comoediam sese insinuavit et a satira prosiluit in scaenam. Quo minus enim valebant antiquae leges, eo magis crescebat poetarum audacia, et tempus venit cum ea, quae quondam in atriis domorum penitus laterent, induci in theatrum, quidquid apud privatos ridiculi esset palam monstrari, et, Romanis adstantibus, plena manu in cives Romanos spargi salem facetiarum (priscis Cethegis, si vixissent, hoc indignum facinus visum) iam nullus fere spectatorum stomachatus est. Ipsum audi Ciceronem in libris quos de Republica scripsit dicentem : « Nunquam comoediae, nisi consuetudo vitae pateretur, probare sua theatris flagitia potuissent[1]. » Quo loco agnoscit consuetudinem vitae omnia, etiam petulantissima, passam esse.

Non igitur de hoc primo argumento Mommseno assentimur, quoniam historiae ipsi illud repugnare manifestum est. Sed longius progrediamur et cetera, quid veri habeant, inspiciamus. Quod ad versum Vergilii attinet quo rem vir ille doctus tutabatur, prave quid significaret videtur intellexisse et aliter eum interpretabimur. Nam minime nobis quidem perspicuum est in illo versu *gentem togatam* ad Latinos, non ad Romanos, spectare. Imo contra, vocabulum *togata gens* huc proferri videtur ut vocabulum *Romanos* explicet eiusque sensum absolutiorem reddat. Cum voluit Vergilius exprimere quid sit reipsa populus Romanus quibusque peculiaribus indiciis inter ceteros agnoscatur, illa duo repperit solis Romanis convenientia, id est, potentiam qua regunt terrarum orbem, et propriam vestem quae, cum victricibus legionibus allata, a cunctis gentibus recepta est. Non ergo aliud vult dici verbis *Romanos rerum dominos*, aliud verbis *gentem togatam*, sed eamdem sententiam duobus diversis modis exprimit, eam duabus vicissim imaginibus huc et illuc versat ut tota inspiciatur exploreturque ; et vis coniunctionis *que* hoc loco non multum a *nempe* vel *videlicet* discrepat. Quod idem multis locis apud Vergilium reperias : nihil nostro poetae usitatius. Sint mihi testimonio ipsi veteres grammatici. Servius in commentario suo, cum ad hos venit interpretandos versus :

> Feror exsul in altum
> Cum sociis gnatoque, Penatibus et magnis Dis[2],

[1] Cicero, *de Republ.*, IV, 10. — [2] Vergil., *Aeneis*, III, 11-12.

quorum posterior in octavo Aeneidos libro fere eadem refert :

> Hinc Augustus agens Italos in proelia Caesar
> Cum Patribus populoque, Penatibus et magnis Dis[1],

Varrone auctore docet unum esse *Penates* et *magnos Deos;* in his versibus igitur *et* idem omnino valet quod *videlicet:* vim habet explicandi. Alia proferamus exempla, quae ex octavo libro licet etiam excerpere. Quid enim haec quibus Euandrus hospiti narrat Herculis Cacique certamen :

> Attulit et nobis aliquando optantibus aetas
> Auxilium adventumque dei[2],

vel

> [Alcides] rapit arma manu nodisque gravatum
> Robur[3],

vel

> laudes
> Herculeas et facta ferunt : ut prima novercae
> Monstra manu geminosque premens eliserit angues[4],

quid, inquam, aliud illa significant quam : aetas attulit auxilium, videlicet adventum dei, — rapit arma, videlicet robur nodis gravatum, — premens monstra manu, videlicet geminos angues? Quin, cum in sexto libro Anchises Aeneae his verbis ostendit quales futuri sint nepotes[5] :

> Hanc adspice gentem
> Romanosque tuos,

num duo vocabula separari possunt? Nonne potius, et sine ullo dubio, unum et idem sibi volunt? Hoc autem versu iterat Vergilius quae prius dixit altero illo versu a quo sumus profecti (*Romanos, rerum dominos, gentemque togatam*), nec quidquam nisi ordinem duorum nominum posteriore loco intervertit. Uterque locus igitur eodem modo explanandus est.

Num insuper, si *gens togata* non in Romanos caderet, intellegi possent ea quae de Augusto feruntur? Suetonius enim narrat olim Augustum, cum pro contione videret turbam pullatorum, id

[1] Vergil., *Aen.*, VIII, 678-679. — [2] *Ibid.*, 200-201. — [3] *Ibid.*, 220. — [4] *Ibid.*, 288-289. — [5] *Aen.*, VI, 788-789.

est civium qui, pristino habitu repudiato, sola tunica vestiebantur, indignabundum exclamavisse : En

Romanos rerum dominos gentemque togatam[1].

Non profecto Latinos aut Italicos, sed Romanos ipsos, ex illis ortos qui quondam in Palatinum montem confugerant, posteritatem Romuli et Remi, tam a pristinis descitam virtutibus, tam maioribus indignam, hoc versu compellabat. — Nonne denique merito quis miretur, cum nulli populi ante Romanos togam gestaverint, non inventores huius vestis, sed qui ab inventoribus eam accepissent, eos tantum postea *togatos* appellatos fuisse? Italici nonnunquam, cum de re militari et de copiarum delectu ab iis debito agebatur, togatorum quoque nomen (ut ex *formula togatorum* apparet[2]) usurpaverunt; non autem continuo illud semper et ubique retinuerunt[3], et praesertim nunquam Mommseno concedemus Romanos, simul ac Italiam subegerint, hinc iam omnino desitos esse hoc vocabulo nominari.

At peregrinae urbes, at Ferentinum, Setia, Velitrae, Brundisium, non autem Roma, Togatarum scaenam praebebant. Quod non solum fabularum tituli, ut vidimus, sed fragmenta etiam nonnulla nobis conservata manifesto confirmant. Quomodo diceret quaedam persona apud Titinium :

Accede ad sponsum audacter; virgo nulla est tali', Setiae, [4]

aut alicui interroganti : « Vidistin' Tiberim ? » responderet altera :

Vidi : qui illam derivet, beaverit
Agrum Setinum [5],

nisi Setia oppidum scaena comoediae esset? Aut haec verba balneatoris cuiusdam apud Attam :

Aquae ita muginantur hodie. — Atqui ego fontem occlusero [6],

[1] Sueton., *August.*, 40. — [2] Vide supra p. 9, *annotat.* 2. — [3] Non, nisi in formulis iuris vel sermone artis militaris proprio, confitente ipso Mommseno (*op. citat.*, IV, p. 227, *annotat.* 1), *togatus* civi romano opponitur ad hominem *italicum* peculiariter designandum. Sed cum de comoedia togata agitur, sumitur vocabulum a communi vulgarique genere dicendi, et ad omnes togatos, sive *italicos* sive proprie *romanos*, aeque pertinet. — [4] Titinius, *Setina*, II (Ribbeck). — [5] *Ibid.*, XI. — [6] Atta, *Aquae Caldae*, II.

nonne certissimos nos faciunt (quod iam facile suspicabamur), quid sint Aquae illae Caldae de quibus loquitur titulus? Nonne in provinciis multa erant oppidula in quae alii per necessitatem ut lavarentur, alii voluptatis causa ut cum lepidissimo quoque iuvenum mulierumque versarentur, frequentes conveniebant? Provinciarum ergo mores, non Urbis, Togatae referunt. Quis tam pervicacior etiam qui non hoc fateatur? Attamen non fatebimur, rati non minus Romam quam Latinas civitates materiam suppeditavisse unde argumenta et ioci poetarum sumerentur.

Nunquam quidem Roma aperte nominata esse in fragmentis videtur (quod disputationi finem faceret); sed, si vere velis pendere quid nos vel tituli vel fragmenta fabularum doceant, nihil reperias omnino, nisi paululum ipsa verba torqueas, quod scaenam peti ab his urbibus italicis nec potuisse alibi versari testetur. Quid enim sibi volunt tituli illi contra nos allati, *Ferentinatis*, aut *Setina*, aut *Ulubrana*, aut *Veliterna* apud Titinium, *Brundisinae* apud Afranium? Quae sit patria personarum primarias in fabula partes obtinentium, tantum significant. Quid autem impedit quin oriunda Ferentino vel Setia vel Brundisio mulier Romam sive itineris faciendi gratia sive ob aliquam aliam causam venerit, et, quamdiu fabula agatur, Romae maneat? Pariterque, si ad fragmenta nunc transeas, quia nulla pulchrior Setiae est virgo quam quae in comoediam inducitur, aut quia optat aliquis ut Tiberis, cursu mutato, agrum Setinum alluat et locupletet, num necessitate quadam sequitur non posse haec verba dici nisi in oppido ipso Setia, nec convenire si Roma proficiscantur? — Imo, ea quae recta via probare non possumus, si devio paulum itinere utemur, forsan dilucida nobis apparebunt. Opinamur, invito Mommseno, Atellanarum scriptores, linquentes Oscas civitates et Capuam et Atellam, saepissime ab Urbe ipsa scaenam comoediarum mutuatos esse. Haud semel enim apud Pomponium Noviumque de comitiis et ambitu honorum, de suffragiis suffragatoribusque agitur. Interdum etiam totum in illis rebus, ut titulus indicat, argumentum fabulae versatur. Videmus Pappum petitorem, cretata veste ornatum, amicos convocantem, multos aucupantem promissis, omnibus affabilem [1]; mox illum videmus prae-

[1] Pomponius, *Cretula vel Petitor;* Novius, *Pappus praeteritus.*

teritum, sed repulsam aequiore animo ferentem, quod recordatur quam mobilis sit voluntas populi et alteri petitioni prosperiorem sperat fore successum[1]. Quo vero tempore scripserunt illi poetae, Campania ius suffragii non iam tenebat, necdum recuperaverat; armis Romanorum post defectionem occupata et iugum servitutis coacta pati, omnibus iuribus et suffragiis exclusa erat et adhuc excludebatur, nec nisi Augusto principe quamdam benigniorem condicionem acceptura erat. Cum igitur in Atellanis aliquid de magistratibus eligendis, de candidatis et de iis qui suffragantur ridicule dictum reperiatur, pro certo habeamus has cavillationes non in Campanos, quibus minime convenirent, sed in Romanos tantum cadere.

Quae autem de Atellanis concluduntur, eadem de togatis quoque fabulis colligi possunt, quippe non multum alterum genus ab altero discrepat, sed potius ambo affinitate quadam coniunguntur. Quod si Atellanae, in patria Osca natae et usque ad finem Osci ludi appellatae, quamvis nescio quid retinuerint quod provincias originemque peregrinam redoleret, Romam tamen migrare et, quidquid ridiculi in habitu moribusque Romanis erat, loquendo agendoque exprimere non dubitaverunt, quanto magis idem licebit ad Togatas transferre, quas nemo unquam ex ullo externo populo arcessitas contendit, et quae, in Urbe natae, ibidem totum vitae suae cursum peregerunt!

Nihil nunc obstat, remota Mommseni opinione, quin rem concludamus. Alias quidem Latinas urbes, sed Romam quoque ipsam saepissime Togatarum scaenam praebuisse, et peregrinos quidem habitus sed Romanorum quoque vitam et mores in Togatis depictos derisosque fuisse confiteri necesse est.

[1] Pomponius, *Pappus praeteritus.*

CAPUT SECUNDUM

QUIBUS DE CAUSIS FABULA TOGATA NATA SIT

I

Hanc superiorem de qua disputavimus opinionem, quanquam gravis auctor, Th. Mommsenus, ediderat, unus tamen, quod sciam, tuebatur. Cur autem et quomodo orta sit comoedia togata si volumus anquirere, quaedam vulgo accepta traditaque sententia refellenda est et cum multa criticorum manu nobis fit controversia[1]. Qui contendunt, cum palliata fabula tota, ut gloriatur Terentius[2], graeca esset, quosdam in istos poetas oblitos Romae, peregrinorum morum imitatores, invectos esse et aliquid novi quod spectatores ad patria instituta patriosque habitus revocaret tunc tentasse : inde fabulas togatas. Sub finem sexti saeculi (sic enim loquuntur), post punica bella praesertimque post Philippum et Antiochum victos, in tantum assurgente romana potentia, mutati erant Romanorum animi et in omni litterarum varietate quiddam superbius gerebant. Qui antea in nullo honore liberalia studia versusque habuerant, vanum quoddam esse mentis oblectamentum otiosorumque opus existimantes, libenterque se artibus ab aliis vinci ferebant dummodo alios armis vincerent, illi iam id quoque genus laudis insequi patriaeque vindicare coeperant. Quo magis quid valerent litterae intellegebatur, eo magis aemulatio domestica fiebat ut litterarum principatum, velut ceterarum

[1] O. Ribbeck, exempli causa, *Geschichte der römisch. Dichtung*, traduction Droz et Kontz, p. 247-248. — [2] Terent., *Hauton Timor.*, Prolog., 4 :

> « Ex integra Graeca integram comoediam
> Hodie sum acturus Hauton timorumenon. »

rerum, Graecis eriperent. In primis, quod ad theatrum spectat, non iam patiebantur nihil aliud quam Graecorum opera esse in latinum sermonem sibi transferenda, nec ullam exsistere posse scaenam romanam, nisi ex alieno fabulas mutuarentur et toti ab exemplaribus externis penderent. Itaque, ut huic patriae amori, ad hunc diem ignoto, satisfacerent, graeca vestigia ausi deserere vere domesticum et vernaculum theatrum excogitaverunt, tragoedias nempe praetextas et comoedias togatas, quae cives romanos aut propter praeclare gesta ornabant laudibus aut propter ineptum vivendi genus ludibrio spectatorum tradebant.

II

§ 1. — Ita sentiunt critici. Haud recte autem faciunt dum Praetextas Togatasque una coniungunt et de utrisque una loquuntur, quasi, quae de illis, eadem quoque de his dici possint. Obliviscuntur enim, aut non animadvertunt, neque eadem aetate neque iisdem de causis illa duo genera nata esse. Non dubium autem est quin multum interfluxerit temporis et multo iuniores sint Togatae : ipsum vocabulum *praetexta* testatur. Nam si una cum vocabulo *togata* inventum esset, non *praetexta* sed adiectivum *praetextata* esset dicendum. Non me fallit quidem has fabulas apud grammaticos *praetextatas* appellari. Sed infirma grammaticorum auctoritas qui, cum serioribus temporibus scriberent, ad exemplar adiectivi *togata* adiectivum *praetextata*, ut omnia ad unam regulam reducerent, tantummodo finxerunt. Ex Horatii autem testimonio satis liquet priorem veramque nominis figuram *praetextas* esse[1]. Quod nomen cum sit inscite fictum et vestem eorum qui agant fabulam, non fabulam ipsam significet, ideo et suam antiquitatem prodit et manifesto quamdam plebeiam originem redolet. Cum enim spectaret populus tragoedias quarum actores toga praetexta ornati procedebant, *praetextas* quoque fabulas ipsas nominavit. Adiectivum autem *togata*, loco substantivi *toga*, constat, quia legitime creatum est, et ab eruditis hominibus esse profectum et recentius apparuisse. Quod rebus ipsis confirmatur, quoniam scimus iam Naevii aetate exstitisse Praetextas neque

[1] Horat., *Ars poetica*, v. 288.

ante Terentium Togatas scribi coeptas esse. Cum igitur Praetextae et Togatae, seorsum natae, seorsum alterae ab alteris vixerint, sequitur non posse utrasque uno eodemque aspectu comprehendi neque simul tractari; atque etiamsi poetae (quod postea falsum monstrabitur) Praetextas ob hanc rem genuissent, quoniam patrio amore incensi omni ope studerent ut suis ipsorum solis viribus Graecis aemularentur, non continuo idem de Togatis concludendum esset.

Sed propius nunc magisque penitus res perspiciamus. Istam aemulationem ipsam et quasi in Graecos invidiam, de qua loquuntur critici, tam mature orsam esse et iam Scipionum vel etiam Gracchorum aetate erupisse, vix est credendum. Nulla enim causa erat cur adeo Graecis Romani inviderent. Cum iis origine, moribus, religione, institutis, fere lingua congruebant. Ex Asia simul profecti, quanquam postea digressi erant ad diversam regionem petendam, multa tamen utrisque communia similiaque manserant quibus arcte coniungebantur, ita ut ab iis accipiendis, quae a Graecis tradita essent, haud multum Romani abhorrerent. — Adde quod suum eos quoque ingenium ad idem inclinabat. Ne credas enim Romanum talem esse reipsa qualis in publico apparet. Palam quidem, spectantibus aliis populis, ferocem se praebet, superbum, fretum viribus potentiaque, credentem fortunae suae. Nihil autem ad nos decipiendos aptius; dum his dicendi agendique modis utitur, alienas partes alienumque ingenium usurpat. Quod si hanc personam, qua opertus per ora hominum decorus gravisque incedit, detrahere conaberis, introrsum illum invenies timidum, sibi saepe diffidentem, vitia sua aegre ferentem potius quam virtutibus inflatum, et, quidquid fecerint ceteri, melius esse libenter putantem. Itaque tam multa ab aliis mutuati sunt; si quid commodi apud Hispanos vel Graecos vel omnes istos reperiebatur quos palam et per ostentationem despiciebant, omni nunc remota superbia, studiose in suum convertebant et omnium utilitatum, ut loquebatur Plinius, fiebant rapacissimi[1]. Non credebant quamcumque rem minoris esse pretii quia ex alieno sumptam, nec maiestatem populi romani quidquam esse deminutam. Testis Caesaris illa apud Sallustium oratio qua maiores laudat quod nun-

[1] Plin., *Natur. Histor.*, XXV, 2. — Cf. Cic. *Pro lege Manilia*, XX, 60; Tacit., *Dialog.*, 5.

quam alienigenas spreverunt : « Neque illis, inquit, superbia obstabat quominus aliena instituta, si modo proba erant, imitarentur. Arma atque tela militaria ab Samnitibus, insignia magistratuum ab Tuscis pleraque sumpserunt : prostremo, quod ubique apud socios aut hostis idoneum videbatur, cum summo studio domi exsequebantur ; imitari quam invidere bonis malebant[1]. »

Quod ad artes attinet, non multum cordi habebant aliquid plane novum, propria nota inscriptum, et sibi solis debitum, in lucem proferre. Quid ergo impediebat quin fabulas graecas, vel tragoedias Euripidis vel Menandri comoedias, aequo animo acciperent, imo ultro arcesserent? Nemore ipsa usque ad extrema reipublicae tempora exstitit, ne Lucilius quidem, quamvis acerrimus priscorum institutorum defensor, qui certare cum Graecis de gloria litterarum auderet[2]. Primus Cicero id ausus est; primus non ferre potuit patriam suam nonnihil vinci et aliquo genere laudis carere. Post hunc quidem, imperante Augusto, multi idem senserunt. Cum Horatius et poetae aequales, tum plerique nobiles, nunc otiosi rebus publicis ad unum translatis, illi castigata opera perficiendo, hi poetas hortando ut ea perficerent, unum studebant : fixis, ut ita dicam, in Graeciam oculis, nitebantur ut tam pulchra aut pulchriora etiam poemata Roma ederet. Sed ea ipsa aetate docti tantum et urbani exquisito iudicio hoc sibi proponebant. Quid autem ista ad populum? nedum quidquam tale iam a sexto vel septimo u. c. saeculo apud ullum poetam aut ullum civem reperiatur.

§ 2. — Quod si quis vero (id quod statim occurrit animo) Catonem et alios veteres Romanos quibus Graeca displicebant nobis obicit, nihil tamen vera aestimanti de sententia supra explicata detrahendum. Quidquid enim Cato facere conatus est, tantummodo in mores et philosophos graecos, aut (nam id quoque maximae Catoni fuit curae) in medicos cadebat ; poetas autem graecos, Menandrum, Philemonem, Diphilum ceterosque intactos praetermisit. Cur ita sese res habuerit non difficile est coicere, et in hunc fere modum Catonem sensisse nobis fingere licet : « de philosophia aut moribus aut etiam medi-

[1] Sallust., *Catilina*, 51. — [2] Cicer., *Tuscul. Disputat.*, I, 1, 3 : « Doctrina Graecia nos et omni litterarum genere superabat; in quo erat facile vincere non repugnantes. »

cina cum exstarent praecepta ab avis tradita ideoque veneranda, quibus meliora nusquam et salubriora ad incolumem animum et sanum corpus servanda cives repperissent, quidni in illis Romanos perstarent, et quid novis istis perniciosisque rebus ex externa gente importatis opus esset? Quid enim aliud ex Graecia Asiaque advectum nisi desidiam luxuriamque, levitatem et corruptelam? En mores ad imitandum civibus propositos, en exempla sub oculis omnium versata! Ab omnibus statim intellegi quid significaret *graecari* vel *graeco more vivere*, neque profecto id bene audire. Si vellent scire quaenam norma regulaque vivendi cuique esset sequenda, nonne regimen morum iamdudum institutum eos omnia docere[1]? Neque exspectavisse veteres Romanos donec magistri graeci venirent, ut discerent quomodo formandus esset animus et liberi educandi, sed eos sibi ipsis suam philosophiam (et quanto meliorem!) fecisse. Observarent igitur morem illum maiorum, hanc vitae legem solam haberent; quam si fideliter retinerent, nunquam erraturos esse. » Inutile igitur, quin periculosum erat aliquid novi de illis rebus requirere. Longe autem alia in scaenicis ludis ratio. Prius enim quam Livius Andronicus graecas fabulas in Latium intulit, nihil huiusmodi Romae exstitisse haud immerito dicas; adeo rudis adhuc ars illa versabatur. Nam quid aliud erant istae Saturae, quibus inculti Romanorum animi delectabantur, nisi opprobria rustica et illepidi sales et convicia nullo inter se iuncta vinculo, quae alternis vicibus histriones per totum ludum soluta licentia fundebant? Quid illis cum arte? Nihil ergo constituti usitatique comoediae et tragoediae graecae expellebant, cum neque tragoedia neque comoedia romana esset; nullius generis scaenici, iam antea maioribus probati, partes suscipiebant, sed in vacuum tantummodo succedebant locum; ideoque minus gravate a veteribus Romanis exceptae sunt.

Huc accedit quod ludi scaenici, et a Catone ipso, res levioris momenti habebantur quam ut de tam vana laude Romani cum Graecis contenderent; non his delectamentis gloriabantur, aliquid

1 Scripserat Appius Caecus celeberrimum *Carmen de moribus*, quod, Cicerone teste (*Tuscul. disputat.*, IV, 2), valde laudabat philosophus Panaetius. — Cicero ipse autem fere idem quod Cato sentiebat : « Meum semper iudicium fuit, omnia nostros aut invenisse per se sapientius quam Graecos, aut accepta ab illis fecisse meliora... ; nam mores et instituta vitae, resque domesticas ac familiares nos profecto et melius tuemur et lautius... » (*Tuscul.*, I, 1)

altius et magis nomine romano dignum persequentes. Civesne ad ista otiosae genti convenientia descendere? Ingenuosne homines (quod peregrinos tantum vel servos vel quemque ex infimo loco ortum decebat) versus componere[1] ? Illud solum litterarum non neglegebatur quod in usu cotidiano nonnullius erat utilitatis et in foro vitaque publica valebat, id est eloquentia ad summos honores apta assequendos, historia comes et adiutrix eloquentiae, iuris denique civilis scientia, qua et sua et amicorum vel clientium bona nobiles defendere poterant. Cetera cives ducebant pro nihilo : id autem summa iniuria, nec Mommsenus in illis graviter vituperandis defatigatur. Non animadvertebant enim per fabulas in scaenam inductas plurima hominum pectori sese insinuare nec quidquam magis irritare animos et memoriae inhaerere quam vitia oculis subiecta. Nam ea est unicuique nostrum imitandi facultas ut ad ea facienda, quae alii faciant, omnes simus propensi. Diu intuiti quidquid hominibus pravum aut turpe aut ridiculum inest, admissi spectatum avaros senes et moechos iuvenes et procaces meretrices et morosas uxores et servos protervos (quibus referta erat tota Graecorum comoedia), qui poterat fieri quin magis avari et luxuriosi, nonnihil vitiosiores Romani quoque redirent? Inde Mommsenus iure putavit hanc ipsam comoediam ad veterem solvendam disciplinam et corrumpendos mores pro sua parte valuisse. Nec multum referebat ludos scaenicos magnis tantum intervallis dari, quia, quo rariores, eo magis exspectabantur, et post datos longior erat memoria. Sed aliter, ut dixi, sentiebat Cato; atque etiamsi eius animo succurrisset non omnino contemnendam esse hanc artem, nihil certe novandum esse in ea putavisset; nam inter sollemnia civitatis et religionum caerimonias ludi scaenici cum reponerentur, inde aliquid sacri trahebant, ita ut permagna aut etiam nefaria res esset quidquam de eo mutare quod maiores instituissent.

Sed illud ultimum fingamus, Catonem in ludos scaenicos invehi ausum esse. Si Graecorum palliatam comoediam ex urbe eiecisset, pro certo habeamus illum multo minus etiam togatas fabulas tole-

[1] Adeo despiciebantur poetae, ut ad eos appellandos ne peculiare nomen quidem lingua romana tunc haberet; sed et librarios et poetas uno eodemque nomine *scribas* fastidiose vocabat. — [2] Mommsen, *op. citato*, IV, p. 224-227. — [3] Horat., *Ars poet.*, v. 181.

raturum fuisse. Meminerimus enim hoc studere Togatarum auctores ut cives romanos in scaena deriderent maiestatemque familiae, ad hunc diem intimis aedium parietibus protectae, publico ludibrio traderent. Num autem Cato illud violatae romanae dignitatis spectaculum sustinuisset? In universum aestimanti, potiores etiam graecae erant comoediae, quae omnia saltem romana intacta relinquebant nec nisi quae ludi poterant ludificabantur.

Multa ergo obstabant quominus ille, si animum ad res scaenicas attendisset, aliquam domesticam et proprie romanam comoediam, quae graecae adversaretur, condendam cogitaret. Sed, ut verum loquar, ne paululum quidem attendit. Ita factum est ut qui in ceteris rebus omnia Graeciam redolentia magno impetu persequeretur, ab hoc uno odium iramque abstinuerit. Dabat quidem operam ut Epicurei Alcaeus et Philiscus omnesque philosophi et rhetores ex urbe pellerentur. Cum legati venerunt Athenas Carneades, Diogenes et Critolaus qui iuventutem docebant rhetoricae graecae arcana, iussit eos quam celerrime dimitti ; leges ferebat ut graeci compescerentur mores et epularum sumptus aut muliebres munditiae refrenarentur. Sed patiebatur honores poetis deferri et institui collegium poetarum eisque in Aventino attribui aedem Minervae in qua consisterent[1] ; quin, ipse poetam Ennium, qui tunc centurio in Sardinia militabat, Romam secum ducebat. Itaque ne credamus quidquam a Catone de fabulis scaenicis fuisse mutatum ; sed ad explicandum quomodo Togata orta sit, aliquid aliud quaerendum.

III

§ 1. — Cum supra dixerimus non eadem de Praetextis Togatisque concludi posse et peccasse eos qui de utrisque simul, nullo discrimine facto, locuti sint, separatim alteras ab alteris considerabimus. Non nostrum quidem est in hoc quod suscepimus opere multis verbis de Praetextis disputare ; illud tamen notandum est omnes Praetextas, quae ad nos pervenerunt[2], non, ut ceterae tra-

[1] Valer. Maxim., III, 7, 2. — [2] Hic tantum de Praetextis loquimur quae Reipublicae temporibus actae fuerunt. Qua de quaestione vide ea quae G. Boissier (*Revue de philologie*, avril 1893) edidit.

goediae solebant, consuetis et sollemnibus ludis actas fuisse, sed in quamdam peculiarem caerimoniam compositas. Saepe enim eveniebat inter nobiles familias ut aliquis vir clarus, sive ad celebrandas victorias sive ad maiores colendos, ludos aut triumphales aut funebres ederet : hic actae erant Praetextae, quae, dum aliquid praeclari ab illo viro paulo ante gestum in scaenam inducebant, patriciae superbiae blandiebantur. Sic Naevius in honorem Marcelli, post victum Viridomarum, tragoediam quae *Clastidium* inscribitur, sic Ennius *Ambraciam* suam ad laudandum Fulvium Nobiliorem ex Aetolia reducem composuerat, cum fuerunt ab utroque imperatorum data spectacula. Verisimile est quoque *Paulum* Pacuvii aut triumphalibus aut funebribus L. Aemilii Pauli ludis fuisse actum; nec dubitandum quin Attius, ut Bruto Gallaeco amico placeret, *Brutum* suum, quo celebratur exactor ille regum, scripserit. Denique ex quadam Asinii Pollionis ad Ciceronem epistola scimus Cornelium Balbum quaestorem « Praetextam de suo itinere ad L. Lentulum proconsulem sollicitandum » Gadibus docuisse [1]. Si quando non satis apparet quo vinculo fabula praetexta caerimoniae ubi acta fuerit coniungeretur, nihilominus eam quodam modo coniungi, quamvis res sit obscurior, credendum est. Ne putemus igitur poetas in componendis Praetextis nonnullum propositum consilium esse secutos et inde quaesiisse qua se liberarent imitatione externa : non enim tam longe prospiciebant; illam vero cum Graecis domesticam aemulationem et cupidinem vere romanae condendae tragoediae haud multum curabant, contenti si virum illum, cui ludi darentur, satis amplum in modum celebrarent. Ita Praetextae ante omnia erant fabulae ad quamdam occasionem aptae : qua sublata, tollebantur fabulae. Nisi quodam tempore nonnullae gentes nobiles, superbia ductae, hunc morem instituissent et voluissent laudari, non tam mature, forsan etiam nunquam tragoedia praetexta apparuisset.

Cum vero eadem occasio se comoediis non obtulerit, serius apparuerunt Togatae. Sed erres si putes illas quoque inventas fuisse ut Roma graecis comoediis comoedias proprie romanas posset opponere. Ex morientibus Palliatis, ut ita dicam, Togatae natae sunt, neque ulla alia causa quaerenda est. Si palliata enim

[1] Cicero, *Epist. ad Famil.*, X, 32.

comoedia diutius vixisset, fieri poterat ut Togata non nasceretur : quam rem hoc confirmat quod, quamdiu Palliata floruit, nullam proferre licet romani argumenti comoediam. Quid mirum? Omnibus temporibus illi, qui scaenicis rebus se applicant, hoc student unum ut ex sententia eventus fabulae procedat et omnium plausibus excipiatur; nihil non faciunt ut spectatoribus placeant, et, si quando ceciderunt, alio vertuntur ad optatos assequendos successus. Itaque, quamdiu placebat Terentius, nihil ultra poetae comici requirebant et toti huic Graecorum imitationi se dabant. Sed ubi primum Palliata non iam favorem populi sibi conciliavit, eam condemnatam auctores statim dereliquerunt, et, quasi necessitate ea quae succedunt semper sequendi, ad aliquid aliud confugerunt. Tunc omnes vias adorti sunt ut fugientia spectantium studia iterum captarent. Primum ad vetera et praeterita regredi conantes, Plauti *Casinam* rursus spectandam dederunt. Cuius fabulae prologus nos monet novas quae edebantur comoedias nequiores nummis novis reperiri[1]; lassus elegantia et subtilitate Terentiana, populus hanc veteris poetae petulantiam etiamque protervitatem desiderabat, et aliquantisper Plautus in magnam apud illum auctoritatem rediit. Sed haec ipsa gratia non diu permansit; et Terentio mortuo, quamvis nonnulla etiam poetarum nomina usque ad nos pervenerint, palliata comoedia iam pro nihilo est : adeo obscuri quicumque graecos imitari comicos perseverarunt[2]. Tunc de quodam comoediae genere cogitatum est cuius argumenta a moribus romanis sumerentur, et togatae fabulae in scaenam prodierunt.

§ 2. — Cur autem Palliata, post tam breve aevi spatium, e theatro communi taedio eiciebatur? Cuius rei multae causae allatae sunt, saepe autem falsae. Quas quidem cum longum est hic tractare, tum plerisque earum, si ad supra dicta memoriam referas, iam responsum est, aut per ea quae postea dicemus respondebitur. Nam si quis contendit Palliatam offendisse quod semper ex aliena imitatione penderet, nonne nunc scimus minime Romanos illud curavisse, cum poetae contra gloriarentur se nihil de suo proferre? Aut si, quia homines nunquam magis delectantur quam cum vicinos suos in scaena derisos spectant, arguitur

[1] *Casina*, Prolog., v. 9-10; cf. Ritschl, *Parerga Plautina*, p. 180 sq. — [2] Vide supra, p. VIII, *annot.* 1.

hoc comoediarum genus nihil nisi externos habitus externaque vitia civibus praebuisse, iure quidem de Terentio id dici potest, non autem de Plauto qui, ut infra monstrabitur, non omisit res a Graecis sumptas ad romana instituta romanosque mores saepius accommodare. Si denique Plautus et Terentius vituperantur quod circa eadem semper argumenta easdemque personas fabulae versentur, nonne in Atellanis id incommodi (et quanto magis!) deprehenditur? Num autem id impedivit quin Atellanae placerent?

Quae omnia igitur non veram quam quaerimus rationem afferunt. Hac sola de causa Palliata cecidit quod populus in duas partes admodum studiis dissimiles et diversissima requirentes dividebatur, nec fieri poterat ut rebus iisdem utrique gauderent[1]. Litterati cives aliquid subtiliter cogitatum et eleganter dictum postulabant; exquisitos lepores et delicatam Graecorum venustatem plausibus persequebantur. Plebem vero litterarum et elegantiae haud multum curiosam nihil magis detinebat quam si ridiculi parasiti vel servi altercantes et in proterviorem iocorum licentiam se effundentes in scaena apparebant. Prorsus nihil commune sentiebat aut de personis aut de sermone

Rusticus urbano confusus, turpis honesto[2].

Optio dabatur poetae utrum faceret, velletne senatoribus et equitibus in orchestra sedentibus an ultimae caveae spectatoribus inservire. Sed alterutrum consilium illi sumendum erat; non quiddam tertium offerebatur. Oportebat eum aut exemplaria graeca fideliter transferre nec quidquam adiungere, resecare vel contaminare, aut liberiorem interpretem intra Athenarum moenia Romam ipsam Romanosque usus conferre et, quamvis peregrina specie, ad domesticos cives frequentius spectare. Plautus sine ulla cunctatione, omissis patribus, delectandae plebis modo studiosum sese praebuerat. Nec res ei male successerat : quamdiu enim vixit, stetit in scaena, magno popelli assensu. Postea autem Caecilio Terentioque rusticius visum est, si plebi tantum inservirent. Neuter tamen (ne Terentius quidem) perfecit ut plane urbanis spectatoribus satisfaceret, quia isti, homines delicati, exquisitiore iudicio, omnem fabulam parum graecam ducebant[3]; sed multo

[1] Cf. G. Boissier, *Mélanges Graux*, p. 79-86. — [2] Horat., *Ars Poet.*, v. 213. — [3] Caecilius tantum non barbarus, Terentius dimidiatus modo Menander esse,

peius etiam uterque a plebecula exceptus est, quae media inter carmina, ut *Hecyrae* accidit, aut funambulos et pugiles aut gladiatores poscebat[1]; ita ut, cum in theatro multitudo, quippe superior numero, semper praepolleat atque ex arbitrio det adimatve felices successus, illae venustatis plenae eleganterque scriptae comoediae, multitudini displicentes, a scaena exactae sint.

Hoc igitur exitio fuit Palliatarum auctoribus, in unum locum duo spectatorum coivisse genera nihil inter se congruentia. Sed quid? Num poterat aliter fieri? Non plus quam semel artium intellegentia culturaque mentis apud omnes civitatis ordines tam diffusae exstiterunt ut eadem totum in theatro populum, in quocumque gradu sedentem, delectarent, id est in Graecia, Athenis, quarum sex millia civium pariter sapiebant. Nos recentiores hodie rem expedivimus, quod diversa instituimus spectacula quae utrisque horum spectatorum conveniant. Et qui nihil nisi ridere volunt et qui delicatius aliquid postulant, reperiunt alii alibi unde studia propria expleantur. Sed ea uti agendi ratione et in duas partes dividere populum antiquis non licebat. Nam cum ludi scaenici nonnihil sacri et divini retinerent et quodam modo ad religionum caerimonias spectarent, necesse erat omnes litterati et illiterati, urbani et inurbani cives, eodem congregati, iisdem fabulis adessent. Alia via igitur erat tentanda. Tunc speraverunt nonnulli poetae fore ut id, quod Palliatam defecerat, ipsi consequerentur, populoque universo, et nobilibus et plebeiis simul, placerent, si et urbanas fabulas, inferius adducendo, illiteratae plebi admoverent et plebeias fabulas, altius tollendo, ad urbanos erigerent.

Non multi enim erant interfuturi anni priusquam Atellanae adhuc incompositae et rudes, ubi histriones, ut ferebat ingenium, sales non paratos fundebant, iam scriberentur. Et, paulo ante, Togatae se diligentius Terentii Palliatis consulere multitudini erant professae : inde longius curriculum et prosperum eventum sibi promittebant. Utrum res ex sententia ceciderit necne, nunc videbimus.

ut postea scripsit Caesar, eis videbatur : Menandrum totum intactumque sibi volebant.

[1] Cf. *Hecyrae* Prologos, I, 4; II, 25 et 32.

CAPUT TERTIUM

DE TRIBUS TOGATARUM AUCTORIBUS

I

E poetis qui in hoc renovandae comoediae inceptum incubuerunt, tres tantum ad memoriam nostram pervenerunt [1]. De quibus paucissima a veteribus sunt tradita. Natu maximus fuit Titinius, e plebeia, ut videtur, domo ortus. Non morabimur in anquirendo utrum nomen *Titinius* an *Titinnius* scribendum sit, nec magis disputabimus num praenomen aliquod vel cognomen possit poetae attribui. Qui, medico Sereno Sammonico teste, Titinio praenomen Vectio voluerunt esse, prava lectione usi manifesto erraverunt [2]. Sed omnia haec parvi sunt momenti.

Quo vero Titinius vixerit tempore, illud scire magis refert, nec ad historiam huius comoediarum generis est inutile. Ex nonnullis Varronis verbis apud Charisium servatis aliquid de hac re concludere licet, ita ut non multum a vero absimus: « Ἤθη, inquit Varro, nullis aliis servare convenit quam Titinio, Terentio, Attae ; πάθη vero Trabea, Atilius, Caecilius facile moverant [3]. » Quin nomina poetarum ex ordine temporum hic referantur, minime, ut Ritschelius animadvertit [4], dubium est, et quia per se verisimilius est, et quia, nisi Varro servavisset hoc peculiari loco aetatum gradus, Terentii et Caecilii longe illustriora nomina ante obscuriora Titinii vel Trabeae vel Atilii ponere non omisisset.

[1] Ut quam maxime ad veritatem accedam, supersunt septuaginta ferme fabularum tituli et quadringenta quinquaginta fragmenta. — [2] Serenus Sammonicus, *de Re medica*, v. 1046 ; *necti* pro *Vecti* legendum est. — [3] Varro, *apud Charis.*, II, p. 241 Keil. — [4] Ritschl, *Parerga*, p. 194, et *annotat.*

Unde statim sequitur quemadmodum Trabeam Atiliumque Caecilio antiquiores, ita Titinium Terentio antiquiorem fuisse. Imo, Varro scripsit plusquamperfectum tempus *moverant*, neque alio tempore usus est. Quod plusquamperfectum, quamvis Bothius et Orellius non probaverint[1], non corrigendum videtur. Nullum enim aliud tempus, neque *moverunt*, neque *moverint* (quod illi proposuerunt) tam apte post adverbium *facile* sententiae convenit. Praeterea, quoniam in utroque orationis membro quisque poeta, ut diximus, ex vitae tempore ordinatus est, nonne ad hanc opinionem adducimur tota ipsa membra inter se ex eodem aetatum ordine opponi? ita ut appareat Caecilium non modo antiquiorem Terentio fuisse (quod iam nobis notum erat et rebus ipsis confirmatum), verum etiam ante Titinium vixisse (quod eadem necessitate accipiendum). Non igitur errare videbimur, si Titinium medium inter Caecilium et Terentium natum esse dicemus.

Longius progreditur Neukirchius[2]. Contendit enim Titinium non solum natum esse sed floruisse inter Caecilium Terentiumque, et, adiuvantibus iis quae docet Hieronymus de Caecilio, circa annum DLXXXIV u. c. sive ante Chr. nat. CLXX hanc floridam aetatem definire posse arbitratur. Qua de re non plane Neukirchio assentimur. Nam si reputabimus Terentium iam ab adolescentia fabulas composuisse et paulisper admodum vixisse, si meminerimus quoque Togatas verisimiliter non apparuisse, ut diximus supra, ante exstinctam Palliatam, concludendum erit Titinium, quamvis Terentio natu maiorem, non nisi Terentio mortuo scribere coepisse; sed quam multis post Terentium annis scripserit si vellemus certiorem in modum indicare, operam perderemus, nec quidquam veri proferre possemus.

Cuius quindecim fabularum tituli cum centum quinquaginta quinque versibus supersunt. His si addideris quosdam alios versus ex incertis fabulis sumptos et quaedam singula verba collecta (nam nihil non ex veteribus grammaticis Ribbeckius diligenter recensuit[3]), cuncta servata commemoraveris. Quae fragmenta pauciora et magis truncata sunt quam ut ex iis quo peculiari ingenio quibusque propriis virtutibus poeta eminuerit certo possis

[1] *Loco Ritschelii citato.* — [2] Neukirch. *De fabula togata*, p. 100. — [3] O. Ribbeck, *Comicorum romanorum fragmenta*, Lipsiae, 1898.

iudicare. Illud tamen suspicari licet ex tribus Togatarum scriptoribus Titinium maxime ad vulgi intellectum descendisse et, quod sibi proposuerant qui in meliorem viam reducere comoediam volebant, id perficere fidelissime esse conatum. Recordatus est enim magis quam ceteri (nec mirum, cum primus Togatas scripserit) quas ob causas hoc genus natum esset et quibus novis studiis necessitatibusque servire deberet. Magis ergo plebeius poeta, ad humiles spectatores melius ac commodatus, videtur fuisse. Quod ex fabularum titulis ipsis manifestum est, qui omnes ex vocabulis proprie latinis sumpti sunt et parva Latii oppidula in scaena frequenter apparere testantur[1]. Necnon personae in eius fabulis versatae ex tenuissimo loco ortae sunt et in sordidis negotiis occupatae ; non enim nisi de fullonibus agitur vel phrygionibus vel textoribus vel hominibus denique aliquam plebeiam artem exercentibus. Omnes isti vitam in tabernis agunt et Velabrum vel vicum Tuscum vel Suburram frequentant nec sermonem a condicione absimilem adhibent. Propter id quoque Titinius mire a plebe intellegebatur quod non, ut Terentius, urbanis utebatur iocis, sed illepidos sales et convicia etiam et verba parum delicata et quidquid rusticius est fundere non dubitabat. Modo antiqua vocabula in sermonem solet restituere, modo nova liberrime fingere; et inde aliquid vividi robustique orationi inest, non sine laude. Hae virtutes libertatis in loquendo, petulantiae, vis comicae, quibus vere populare dicendi genus assequebatur, animum revocant ad Plauti memoriam quocum habuisse nonnullam cognationem ingenio videtur. Nec tamen ei nocuit quod aequalis fuit Terentii, si quidem, ut est verisimile, ex huius poetae exemplaribus illam a Varrone laudatam peritiam in pingendis ἤθεσιν, id est personarum moribus, mutuari potuit[2]. Sed de hac re potius Varroni credendum est quam ex fragmentis per nos ipsos quidquam perspicere licet.

[1] *Ferentinatis*, *Setina*, *Veliterna*. — [2] Varro *apud Charis.*, II, p. 241.

II

Quod si haud multa de Titinio scire possumus, pauciora etiam de Atta poeta ad nos pervenerunt. Cuius de vita illud tantum notum est quod Hieronymus in Chronico Eusebiano docet : « Olympiade CLXXV, anno tertio, T. Quinctius Atta scriptor Togatarum Romae moritur, sepultusque via Praenestina ad milliarium secundum. » Si ergo Hieronymum auctorem sequimur, iam provecto septimo saeculo, anno u. c DCLXXVII (sive ante Chr. n. LXXVII), Atta diem obiit. Vocabatur Titus[1] Quintus vel Quinctius, et, ut saepe fiebat apud Romanos qui cognomina ex aliquo corporis vitio trahebant, quia claudicabat, Atta cognominatus est. Attae enim proprie appellantur, dicit Paulus ex Festo, « qui propter vitium crurum aut pedum plantis insistunt, et attingunt magis terram quam ambulant ; quod cognomen Quinctio poetae adhaesit[2] ». Ad hanc membrorum pravitatem spectare illud iocose ab Horatio dictum :

> Recte necne crocum floresque perambulet Attae
> Fabula[3],

vulgo creditur. Nec contra hanc opinionem repugnent quidem versus infra positi, quibus sic depingitur Plautus :

> Aspice, Plautus...
> Quam non adstricto percurrat pulpita socco...
> Securus, cadat an recto stet fabula talo[4] ;

nam *plautus* vel *plotus* idem significat quod *scaurus*, hoc est hominem « pravis fultum male talis[5] ». Attamen de duobus locis aliter sentiemus, nec credemus Horatium ad haec cognomina poetarum per ludibrium allusisse, sed nihil aliud quam usum esse usitatissima figura dicendi, quae poetis minime claudicantibus neque ullo vitio crurum affectis non minus conveniret.

[1] Legitur tamen apud Diomedem, III, p. 490 Keil : « Togatas tabernarias in scaenam dataverunt praecipue duo, Afranius et G. Quinctius. » Sed, ut animadvertit Neukirchius (p. 153), haec scriptura, cum in antiquissimis editionibus non G. Quinctius exstet, verum Q. Ennius, perperam emendata est, neque G. Quinctius pro Q. Ennius legendus est, sed simpliciter Quinctius sine praenomine, — quod melius etiam verbo antecedenti *Afranius* respondet. — [2] Festus, v. *Attae*. — [3] Horat., *Epist.*, II, 1, 79. — [4] Id., *Epist.*, II, 1, 170, 174, 176. — [5] Id., *Sat.*, I, 3, 48.

Quamvis Atta ex Nonio et Isidoro alia poemata praeter Togatas ediderit[1], Togatae solae ei nomen et memoriam apud posteros praestiterunt. Quarum undecim tantum exstant tituli, et quam mutilata sunt fragmenta, quot casus experta! Nulli fabulae plus quam duo versus, nonnunquam nihil aliud quam titulus superest; ita ut Titinii, si cum Atta comparetur, felicitatem possis laudare. Omnes fabularum titulos ex nominibus latinis constare, et saepe fragmentis aliquid inesse antiquius quo Titinio magis quam Afranio propinqua videntur esse, hoc statim perspicitur; sed nihil amplius addere licet. Satis sit igitur ea colligere quae de illo antiqui referunt, et spem deponamus posse nosmet explorare meritone Diomedes Attam in aequo ponat cum Afranio[2]. Fronto dicit, ut Novium et Pomponium in verbis rusticanis et iocularis, sic Attam in muliebribus elegantem fuisse[3]. Atque hoc cum illo Varronis consentit loco dicentis Attam non minus Titinio et Terentio ἤθη servavisse[4]. Licet igitur suspicari eum arte inducendi mulieres in scaenam eminuisse. Evanthius denique eum reprehendebat quod in comoediis scribendis non temperavisset affectum ne in tragoediam transiliret : « Quod cum aliis rebus, aiebat, minime obtentum et a Plauto et Afranio et Atta et multis fere magnis comicis invenimus[5]. »

Quiquid est, constat Attae Togatas non in mediocri favore fuisse apud antiquos. Augusti principatu adhuc agebantur et benigne tunc excipiebantur; testes illi notissimi Horatii versus, quorum iam nonnullos protulimus, sed quos totos commemorare oportet :

> Indignor...
> Non veniam antiquis, sed honorem et praemia posci.
> Recte necne crocum floresque perambulet Attae
> Fabula si dubitem, clament periisse pudorem
> Cuncti paene patres, ea cum reprehendere coner,
> Quae gravis Aesopus, quae doctus Roscius egit[6].

Quid significent verba *crocum floresque perambulet*, certant critici. Ex Porphyrionis et Acronis sententia, quodam loco fabulae quae inscribitur *Materterae*, Atta florum genera ita enumerat ut

[1] Nonius, v. *Crines*, p. 202 Merc.; Isidor., *Orig.*, VI, 9. — [2] Diomed., III, p. 490. — [3] Fronto, *Epist.*, IV, 3, p. 62 Naber. — [4] Cf. p. 29. — [5] Evanthius *De tragoedia et comoedia*. Legendum est vocabulum *Atta* pro *Accio*. — [6] Horat., *Epist.*, II, 1, v. 76 sq.

sine dubio Horatius eum vituperare voluerit ob nimiam loquacitatem [1]. Sed difficile est huic opinioni assentiri. Nonne verisimilius, ut Cruquius annotat [2], mentionem hic fieri de floribus, odoribus et praesertim croco qui in scaena ex nova consuetudine spargi solerent ? Cuius consuetudinis documentum apud Lucretium reperimus :

Et quom scaena croco Cilici perfusa recens est[3].

Non sensus ergo absurdus videtur, siquidem, ut credimus, Horatius significavit novis illis moribus aliquid exquisitius prodentibus antiquam et rudem Attae comoediam parum convenire. — Quod Horatius rem habuit cum Atta, hoc ipsum nostra interest. Nam poetam comicum profecto praetermisisset neque eum inter ceteros potissimum delegisset in quem faceret impetum, si nihil apud vulgus comoediae valuissent. Sed dignus Atta huic veterum poetarum censori visus est qui lacesseretur ; neque iniuria : patres enim isti qui nolebant quidquam apud illum reprehendi, forsan errabant, sed recordabantur quanta admiratione, quot plausibus ipsi iuvenes has fabulas a Roscio actas prosecuti essent.

III

§ 1. — Quanquam autem Titinius et Atta haud mediocriter ingenio viguerunt, Afranium tamen ceteris praestitisse et in Togatis scribendis palmam poscere omnes veteres uno ore consentiunt. De qua re multa habemus testimonia. Ex Cicerone enim scimus L. Afranium poetam, hominem perargutum, in fabulis etiam disertum fuisse [4]. Apud Horatium quoque legimus Afranii togam convenisse Menandro [5]. Horatius quidem non suo nomine hic loquitur nec benignius fortasse de Afranio quam de Atta ipse sentiebat; sed ex hoc eodem loco sequitur tamen multum abfuisse ut omnes aequales pariter sentirent, imo haud paucos Horatiana aetate exstitisse qui Togatas Afranii plurimi facerent. Ipse ceterum, quamvis imprudens, non mediorem honorem poetae concedit, cum iuxta Naevium, Pacuvium, Attium, Plautum, Caecilium, Teren-

[1] *Materterae* apud Neukirch. p. 160, apud Ribbeck. [3] p. 190. — [2] Apud eosdem, *ibid.* — [3] Lucret., *de Nat. rer.*, II, 416. — [4] Cicero, *Brutus*, XLV, 167. — [5] Horat., *Epist.*, II, 1, 53.

tium, id est optimos fabularum auctores, cum iisdem versibus ponat? Si nunc transeamus ad ea quae posteriores scriptores de Afranio dixerunt, iudicium non discrepat a prioribus testimoniis allatis. Apud Velleium Paterculum[1] vel Quintilianum[2] vel Apuleium[3] vel Ausonium[4] eadem animadvertere licet, « Afranium claro ingenio praeditum fuisse, dulcibus latini leporis facetiis plenum, elegantem, facundum scriptorem, Togatis excelluisse ». — Quod ad Ciceronem attinet, non mirabimur, haud ignari quam Tullio omnes veteres Romae scriptores cordi fuerint, si non semel nostrum poetam laudavit et ab eo locos commemorandos mutuatus est. Grammatici denique a nullo priscorum comicorum, si Plautum exceperis Terentiumque, tot exempla quot ab Afranio, velut a locuplete auctore, ad confirmandam sententiam petierunt.

Huius agebantur fabulae extremis Reipublicae temporibus ; nam Cicero refert, cum daretur populo Togata *Simulans* inscripta et aliquid a poeta dictum in hominem quemdam vitiosum et impurum caderet, catervam histrionum totam clarissima concentione in Clodium coram sedentem hunc versum transtulisse[5]. Agebantur Augusti principatu, si Horatium audire volumus, et valde placebant :

> Has ediscit, et has arto stipata theatro
> Spectat Roma potens... [6].

Agebantur etiam Nerone imperatore : testis hic Suetonii locus quo legimus, cum induceretur in scaenam *Incendium* Afranii, illam novam et mirificam largitionem actoribus concessam fuisse, ut ardentis domus supellectilem diriperent ac sibi haberent[7]. Quibus ex indiciis constat Afranium celeberrimum fuisse et inter magnos Romae poetas annumerandum : itaque doleamus illum tam magna ex parte periisse.

Quo tempore poeta natus sit, quo tempore mortuus, certum in modum indicari non potest ; aliquid tamen verisimile ex vete-

[1] Vell. Pater., I, 17, 1 et II, 9, 3. — [2] Quintil., X, 1, 100. — [3] Apul., *Apolog.*, XII. — [4] Auson., *Epigramm.*, LXXI, 2 sq. — [5] Cic., *pro Sestio*, LV, 118. — Quod ut histriones facerent, suaserant optimates ; cum enim hi eniterentur ut Cicero ab exsilio revocaretur, hanc occasionem statim arripuerunt excitandi iram indignationemque populi adversus tribunum, exsilii auctorem. Ex quo licet cognoscere quando acta fuerit fabula, cum reditus oratoris anno DCXCVII u. c. sive LVII ante Ch. n. evenerit. — [6] Horat., *Epist.*, II, 1, 56-57. — [7] Suet., *Nero*, 11.

rum testimoniis licet coicere : qua de re non inepte disputavit Neukirchius[1]. Demonstrat enim, Velleio Paterculo et Cicerone auctoribus, Afranium Accio poetae oratoribusque M. Antonio et L. Crasso fuisse aequalem, id est medio septimo saeculo circa annos u. c. DCL-DCLX (ante Chr. n. CIV-XCIV) floruisse : ea autem fere aetate Cicero a prima pueritia egrediebatur, et paulo iunior Caesar veniebat in lucem. Idem Neukirchius vult Afranium Romae natum esse Romaeque vitam degisse et terminavisse : quod ex ipso silentio veterum scriptorum colligit ; nam ut de ceteris poetis, quoties peregrini erant, veteres diligenter hanc peregrinitatem annotaverunt docueruntque « Livium Andronicum Tarento, Naevium ex Campania, Ennium Rudiis, Pacuvium Sarsina, Caecilium ex Gallia Transpadana, L. Pomponium Bononia, alios aliunde Romam venisse ; ita de iis, qui in ipsa urbe nati essent vitamque transegissent, cum omnibus compertam arbitrarentur, facile rem praeterire potuerunt[2] ». Nec est cur Neukirchio non assentiamur. — Propter mores autem et vivendi rationem a Quintiliano accepimus poetam vituperandum esse. « Utinam, inquit, non inquinasset (Afranius) argumenta puerorum foedis amoribus, mores suos fassus[3]. » Sed videtur Quintilianus, sic concludendo, longius aequo progressus esse ; si quis enim quaedam in fabula repraesentat, non continuo eadem in vita sua imitatur et moribus exprimit ; nam sic in Plautum et Terentium et ceteros omnia transferri possent vitia quae in scaenam induxerunt. Ergo, non abstinuisse Afranium a turpi vitio pingendo iure dixeris (quod haud semel apud Atellanarum quoque auctores, ne ex comico genere egrediamur, per corruptelam temporum deprehenditur) ; num autem huic quam pinxisset libidini indulserit, nihil affirmare possis. Ita, melius Quintiliano Ausonius sensit, haec tantum locutus :

> Repperit obscenas veneres vitiosa libido
> Quam toga facundi scaenis agitavit Afrani[4].

In eo acquiescere debemus nec quidquam ultra anquirere.

Non praestantissimus modo inter Togatarum auctores sed fecundissimus quoque Afranius videtur fuisse. Fabularum enim tituli

[1] Neukirch., *op. cit.*, p. 165-167. — [2] Neukirch., p. 167. — [3] Quintil., X, 1, 100. — [4] Auson., *Epigramm.*, LXXI, 2.

ad quadraginta quinque supersunt : fateor quidem, cum diutius Afranii fabulae favorem spectantium retinuerint, eos maxima ex parte debuisse ad nos pervenire : quod Titinio vel Attae non contigit.

§ 2. — Si cum prioribus Togatarum scriptoribus Afranius comparabitur, invenietur dissimilis fuisse ingenio. Apud illos enim aliquid robustius etiamque agrestius animadverteramus ; hic vero, ut aiebat Cicero [1], est perargutus, id est elegantior et urbanior minusque ad vulgi indolem accommodatus, nec nesciremus, etiamsi non dixisset ipse, quantum doctrina graeca graecisque litteris fuerit imbutus : adeo ut idem in Togatis inter Titinium et Afranium videatur interfuisse quod in Palliatis inter Plautum Terentiumque. Itaque, quamvis Afranius non minus quam Titinius ad mores patrios vitamque romanam respexerit ut inde argumenta fabularum sumeret, tamen minus libenter ad istos pingendos homines descendit infimo loco ortos et in tabernis viventes, quibuscum morari gaudebat Titinius ; sed eas potissimum personas adhibet in mediocri condicione versatas, neque opulentas admodum neque humiles, et spectatores inducit intra hos domesticos parietes hasque familias, ubi omnes et delicatius sentiunt et urbanius loquuntur.

Illud praeterea notandum est, non potuisse nostrum poetam quin Graecos, praesertim Menandrum, quo non elegantior alter, imitaretur. Quae quidem imitatio adeo res clara erat omnibus ut vulgo diceretur Afrani togam convenisse Menandro [2] et Cicero proferret se locos quosdam a philosophis sumptos in opera sua translaturum, si incideret « ut id apte fieri posset, ut ab Homero Ennius, Afranius a Menandro » solerent transferre [3]. Neque Afranius ipse negabat id se fecisse ; imo fatebatur, ut patet ex *Compitalibus* suis, et locus ille a Macrobio servatus dignus est qui totus referatur : « Arguentibus, dicit Macrobius, quod plura sumpsisset a Menandro, non inverecunde respondit :

... Fateor, sumpsi non ab illo modo,
Sed ut quisque habuit, conveniret quod mihi,
Quod me non posse melius facere credidi,
Etiam a Latino [4]. »

[1] Cic., *Brut.*, XLV, 167. — [2] Horat., *Epist.*, II, 1, 53. — [3] Cicero, *de Finibus*, I, 3, 7. — [4] Macrobius, *Saturn.*, VI, 1, 4.

Nihil ergo apertius et planius desideres. Sed eodem loco addit Afranius se alios quoque imitatum esse, nec nomina affert; inde suspensi et sollíciti criticorum animi. Num his verbis Plautum significat vel Naevium, poetas vere patriam italicam redolentes, vere romanis salibus plenos? Saepe creditum est, sed mihi non placet; nam isti agrestiores sunt in loquendo, petulantiores in ridendo, et Afranius a rusticis iocis abhorret. Multo probabilius mihi videtur eum ad Terentium respexisse, id est ad venustissimum inter Romanos poetas et qui optime Menandreas virtutes servaverit. Terentius quidem non commemoratur nominatim; nonne autem hanc coniecturam facere quasi cogimur, cum apud Afranium huiusmodi fragmenta invenimus quantopere Terentium miraretur testantia :

> Terenti numne similem dicent quempiam [1]?
> ... ut quidquid loquitur, sal merum est [2]!

Potest fieri ut versibus a Macrobio citatis quemdam alium praeter Terentium significaverit; nam Afranius, sicut a Cicerone discimus, studiose quoque equitem romanum, C. Titium, aequalem suum imitatus est [3]. Erat Titius cum tragoediarum auctor, tum orator non insulsus; et plus ingenio quidem naturaque quam scholasticis disciplinis valebat; sed quamvis litteris graecis non esset institutus, « huius orationes tantum argutiarum, tantum exemplorum, tantum urbanitatis habebant ut paene attico stilo scriptae esse viderentur [4] ». Qui, his virtutibus similis Terentii, mire Afranio conveniebat. Eamdem insuper subtilitatem et venustam elegantiam, « easdem argutias in tragoedias transtulerat satis quidem acute, sed parum tragice [5] », eoque ad comicum genus et soccum accedebat. Quid mirum igitur si hunc quoque Afranius imitandum sibi proposuit, et, quia imitabatur, homo perargutus, ut Ciceronis verbis utar, et in fabulis etiam, quantum licet poetae, disertus evasit?

Compertum nunc habemus quales fuerint ii quibus Afranius uteretur exemplaribus. Si cogitabis omnes, seu Menandrum, seu Terentium, seu Titium, quamvis aliquid proprii quemque servantes, nonnullis tamen communibus virtutibus, elegantia, leni-

[1] *Compitalia*, II (Ribbeck [3]). — [2] *Ibid.*, III. — [3] Cic., *Brut.*, XLV, 167. — [4] Id., *loc. cit.* — [5] Id., *loc. citat.*

tate, suavitate, urbanis facetiis praestitisse, inde peculiarem Afranii naturam indolemque perspicere poteris. Quidquid illis debuerit, alia operis parte indicabimus. Nunc autem nobis satis sit animadvertere quanta affinitate ingenii cum illis coniungeretur. Inde oritur quantum a Titinio discrepet. Quod discrimen deprehenditur, non solum si ad personarum condicionem spectes, sed si ad latinitatem quoque. Nam multo minus apud eum reperias haec antiqua et obsoleta vocabula quibus gaudebat uti Titinius; non quidem plane absunt, sed in Titinianis fabulis abundabant et velut ex fonte perenni scatebant. Afranii itaque fragmenta magis profluentia et expedita legentibus videntur, neque eamdem horridam et asperam speciem quam Titinii fragmenta praebent. Tum (id quod sequitur) latine loquendi est accuratior et diligentior elegantia; nec iniuria, quae de Terentio Caesar Ciceroque dicebant, ea in Afranium transferas. Afranius quoque, « puri sermonis amator, quidquid come loquens atque omnia dulcia dicens, sedatis vocibus[1] » et temperatis virtutibus et facetiarum urbanitate tantum ad Terentium accedit quantum ab effrena libertate et rusticis priorum comicorum salibus distat. Quidam etiam loci eum habent leporem, eam delicatam teneramque venustatem ut ab ipso Scipionis et Laelii amico profectos diceres; nec recusavisset Terentius profecto quominus nomen suum huiusmodi versibus inscriberet :

Si possent homines delenimentis capi,
Omnes haberent nunc amatores anus.
Aetas et corpus tenerum et morigeratio,
Haec sunt venena formosarum mulierum;
Mala aetas nulla delenimenta invenit[2].

[1] Sueton, *Vita Terentii.* — [2] *Vopiscus*, XX.

CAPUT QUARTUM

QUID HABEAT FABULA TOGATA PECULIARE AC VERE GENUINUM

Sed, omissis propriis cuique Togatarum auctori virtutibus, ea quae sunt his tribus poetis communia quaeramus, et genus ipsum, non iam singulos scriptores, aggrediamur.

I

Si quis, post lectos Plautum Terentiumque, ad fragmenta Togatarum vertitur, ei in universum intuenti statim quaedam obversantur quae aliquid novi sapiunt neque in Palliatis inveniebantur.

§ 1. — Primo, comperiet hoc comoediarum genus *patrium* esse, proprie romanum, nec ab imitatione graeca aeque ac Palliatam pendere. Quod iam tituli fabularum satis aperte demonstrant. Nunquam aliunde nisi ab Italia loca, ubi res scaenicae geruntur, peti solent. Quin, Urbem ipsam supra constituimus, invito Mommseno, plerumque scaenam Togatarum praebuisse[1]. Sed ad praesens tempus hoc tantum nostra refert (neque est quisquam sane qui huic rei adversetur) nunquam argumenta ultra paeninsulae fines translata fuisse. Sive e nonnullis feriis romanis (*Compitalia*, *Megalensia*), sive ex aliquo latino vel italico oppidulo (*Ferentinum*, *Setia*, *Velitrae*, *Ulubrae*, *Brundisium*, *Aquae Caldae*) tituli sumuntur, non potes quin, si ad Palliatas animum referas, quid intersit intellegas. In Graecia sola Plautus et Terentius profitentur fabularum scaenam agi, nec quidquam praetermittunt in prologis quo id populum certiorem faciant; omnia eorum argumenta,

[1] Vide supra, p. 14-16.

ut dicebat Plautus ipse, vel atticissant vel sicilicissitant, semper autem graecissant[1].

§ 2. — Non minus est discrimen, quod ad nomina personarum attinet. Quae in Togatis, si unum aut alterum excerpseris (velut Thaim Moschimve apud Afranium), omnia latina sine dubio erant[2]. Pauca quidem, propter paucitatem ipsam fragmentorum, sola nobis conservata sunt; sed quis dubitabit quin plura eiusdem modi, si magis integri pervenissent Togatarum poetae, nunc memorare possemus? Quid autem simile in Palliatis ubi nihil aliud quam Chremetes Simonesque, vel Pamphilippi Charinique, vel Davi Gnathonesque, omnes e Graecia advecti et peregrinum sonantes, deprehenditur?

§ 3. — Si deinde respicies quos usus moresque Togatae exprimant, omnes Romanis convenire ad eosque solos referri posse persuasum habebis. Non recens est neque nostro saeculo nata consuetudo ad aquas seu caldas seu frigidas se recipiendi ut valetudini consulatur. Iam apud Romanos hoc erat usitatissimum. Singulis annis, ubi ardores solis parum tolerabiles erant, frequentia urbanorum, Roma derelicta, aut ad mare descendebat aut montes petebat. Velia, Salernum, Cumae, Tarentum, aut Clusium, Praeneste et cives aegros et cives verentes ne aegri fierent, alliciebant. Ex omnibus his oppidulis, quamvis multis in Italia, longe maximam habebant celebritatem liquidae mollesque Baiae. Omnes idem, quod ille dives apud Horatium, sentiebant :

Nullus in orbe sinus Baiis praelucet amoenis[3].

Itaque non aegrotantes modo homines, sed multi admodum validi in hunc locum conveniebant. Nonnulli reipsa calidis fontibus lavabantur; plerique autem tepido caelo et mari obstrepente et voluptatibus omnibusque deliciis hic fluentibus frui volebant. Praesertim accurrebat lautissimus quisque iuvenum, mulierum cultissima quaeque, et, ut fit in tali re, mox Baiae fuerunt « deversorium vitiorum[4] ». Hic enim, in litore, Clodia Caeliusque illis conviviis, comissationibus, navigationi, symphoniis, libidinibus indulgebant

[1] Plaut., *Menaechm.*, prolog., 11-12. — [2] *Hortensius* et *Quintus* (ita duae fabulae vocantur), *Paccius*, *Servius*, *Sextus*, *Tiberius*, *Caeso*, *Postuma*, *Lucius*, *Numerius*, *Manius*, praenomina vel cognomina cuncta romana, conservata sunt. — [3] Horat., *Ep.*, I, 1, 83. — [4] Senec., *Ep.*, LI, 3.

quibus resonabat Italia [1]; atque haud una mulier, haud unus vir eorum exemplum sequebatur. Multa inde nostri Togatarum auctores, ad pingendos romanos mores unice incumbentes, haurire poterant in scaenam merito transferenda. Quomodo tam feracem materiam praetermi sissent? Inde apud Attam fabulam *Aquae Caldae* inscriptam reperimus. Non dubium est fragmenta legentibus, quin personae in comoedia versatae ex hac turba luxuriae voluptatumque amanti partim petitae sint. Queruntur enim matronae meretrices in illa celebritate loci molestas esse, per vias clarissima luce *meretricie* agere, idque non succinctiorem vestem et passos, ut decet, crines habentes, sed (rem insigni infamia!) matronarum modo, id est vittis et talari stola ornatas, ut a peregrinis, non minus quam ingenuae, honestiores feminae credantur [2]. — Haec comoedia, in universum aestimanti, lepidam profecto imaginem elegantiorum otiosorumque Romanorum offerre debebat. Quanto nunc desiderio tenemur eam, duobus exceptis versibus, totam periisse!

Quoniam cum elegantioribus Romae rem habemus, alias, et acriter quidem, eos Titinius vellicavit, dum adeo molles et effeminatos ostendebat ut, quo minus fatigarentur, vocabula non iam tota, sed una aut altera amputata syllaba, pronuntiarent. Non modo non absolutam iurationem « per aedem Pollucis » vel « me dius fidius », sed ne artationem quidem verborum in vulgari sermone adhibitam « edepol » vel « medi », utpote longiorem etiam sibi, dicebant. Se urbaniores et exquisitiores esse isti molliculi iudicabant, si putide et ore superbo « pol, edi » inter labra vix emitterent [3]. Hoc modo loquitur in *Setina* Titinii pulchellus quidam qui, ut placeat puellae opulentae quam in matrimonium petit, cum mulleis se ostendit calceis, fimbriata fronte [4], Tarentinorum hortorum odores gerens [5], non minus oratione quam corporis habitu ridiculus [6].

Togatarum igitur auctores proprios Romanorum usus diligenter observatos pingebant, et Romani hanc sui imaginem fideliter

[1] Vide Cicer., *pro Caelio*, XV et XX. — [2] *Aquae Caldae*, I. — [3] *Setina*, V. — [4] *Ibid.*, VIII et VI. — [5] Titinius, *Ex incertis fabulis*, XVIII. — [6] Iuxta eos qui odiose litteras exprimunt, ii ponendi sunt peregrini, qui ex aliquo vico vel oppidulo oriundi rusticius loquuntur et sermonem in patria usitatum saepe totum retinuerunt. Non minus hos quam illos idem Titinius irridet (*Quintus*, VII):

...Obsce et Volsce fabulantur, nam Latine nesciunt.

e natura expressam non sine miratione quadam, quippe novam, intuebantur.

§ 4. — Omittamus autem varios civitatis ordines et diversa personarum genera. Quae sint omnibus ordinibus et toti civitati communia studia, instituta, res, verba videamus. Idem tunc animadvertitur : omnia romana sunt et propria quadam nota inscripta. Nonnullis exemplis utamur. Quomodo cuiusdam Titinianae fabulae titulus, qui vas aquarium, rem vilissimam, vult significare, inscribi reipsa debeat, utrum *Barbatus*, ut Varro et Festus voluerunt, an *Barratus*, ut legitur apud Charisium, certant grammatici [1], nec satis liquet. Sed ea ipsa obscuritas, quae vocabulo inest, abunde indicat plebeium instrumentum fuisse, omnino romanum, iam antiquitus usurpatum, cuius nomen, saepissime a multitudine iteratum, hoc vulgari sermone haud semel depravatum fuit.

Aliud exemplum. Inter omnes constat Romanis nihil tam cordi fuisse quam bellum et iudicia; multa ergo, si non erravimus opinione, in Togatis debent ocurrere quae ex foro et castris ducta sunt. Inde duae Afranii fabulae, una *Auctio*, altera *Titulus* inscripta, siquidem, ut videtur quibusdam, *titulus* hoc loco idem significat quod apud Ciceronem *tabula auctionis*. In priore saltem fabula verisimile est (cum in posteriore mihi valde incertum videatur), summam argumenti constitisse in hoc usitatissimo apud litigiosos Romanos more, quo saepe omnia, et res et homines, sub hasta, coram praecone, vendebantur. Inde quoque Titinii *Iurisperita*, qua illud deridebatur litium studium tam insitum Romanis ut feminae ipsae consuli a litigatoribus et dare responsa et docere formulas actionesque vellent. — Ea vero quae ad militiam spectant saepius etiam in his comoediarum fragmentis obversantur. Attae *Tiro proficiscens* in eiusmodi argumento totus profecto continebatur. Sed plerumque, si non tota fabula, at singula verba, figurae dicendi, similitudines, haud infrequenter a re militari sumuntur; aut aliquid memoratur egregie a legionibus romanis factum, velut Asculana vel Osculana pugna, quae in communibus proverbiis erat versata, quoties aliquis victos qui victores rursus vicerant significare volebat :

Haec quidem quasi Osculana pugna est, haud secus,
Quia qui fugere polsi hinc, spolia colligunt [2].

[1] Ribbeck [3]., *ad fragm. I Barbati*, p. 157. — [2], Titinius, *Ex incert. fab.*, XVII.

Si quaedam persona de homine pugnaci sed reipsa ignavo loquitur, statim ei venit in mentem, ad impotentem adversarii iram exprimendam, figura uti ex exercitibus petita et hominem comparare cum levi armatura velitum, qui certamen tantum inibant et, ubi paulo acrius pugnabatur, ex acie evanescebant :

ita spurcus
Animatur (ira) in proelium :
Veles, eques — recipit se
Neque ferit quemquam hostem [1].

Si maritus quidam cum uxore altercatur :

Ne ego illos velitantis ausculto lubens [2],

dicit alius qui contentioni adest. — Filio patrem suum vel potius servo erum per astutias ludificato, triumphus non modicis vocibus celebratur, sed imperatoris credas mentionem fieri exsultantis et victoria superbe utentis :

Hodie hostis fugavit, spolia placide posterius leget [3].

Hae comoediae certe non fuissent omnino romanae nec dignae illa urbe quae priscum genuit Catonem, nisi pecuniariae res et nummorum cura augendorum et argentarii et trapezitae et faeneratores quemdam in iis obtinuissent locum. Itaque Titinius non omittit per quamdam ex personis suis praecipere ut pecunia non servetur otiosa domi sed apud argentarios in foro vel apud curiales faenori collocetur [4].

Nihil tunc mirum, cum adeo studiose romani usus referantur, si de kalendis et nonis et idibus frequentem sermonem reperimus. Haec Palliatis, si quando apud Plautum animadvertebantur, minus conveniebant. Fasti enim romani propositi in agora Athenarum et kalendae graecae factae, quid insolentius ? Quae inter se magis

— Vide quae Neukirchius (p. 148) de loco Festi, quo proverbium illud traditum est, annotaverit. Huius interpretatio non inepte videtur excogitata. Non vult Romanos, primo ad Asculum a Pyrrho victos, postea ad idem Asculum regem Epirotarum vicisse (quod vetant Livius et Plutarchus, cum *una* fuerit ad Asculum pugna) ; sed, quamvis victi Asculana pugna, tamen eodem die vicisse dici possunt, quippe Pyrrhus victor, sed deminuto exercitu, se recepit et in Siciliam trajecit, Romani contra victi, sed gravi hoste liberati, totum fructum ex pugna ceperunt.

[1] Titinius, *Barbatus*, VI. — [2] Afranius, *Simulans*, IV. — [3] Titinius, *Veliterna*, XI. — [4] Titinius, *Hortensius*.

contraria? Omnia haec a poeta liberrime efficta, non ad veritatem et secundum res ipsas composita fuisse liquebat. Sed rursus quid Togatis magis accommodatum? Et, si quando Atta duobus referebat locis primum anni mensem quondam Martium fuisse [1] veterumque consuetudinum hoc modo spectantes admonebat, quis contendere sustinuisset haec parum cum argumento fabularum congruere? Neminem fugit quantum Romanorum interesset festos et profestos dies noscere et quanta cura hic populus religiosus deorumque reverens ferias observaret; tunc, omni labore omisso, totus ad quietem et festivitatem vertebatur. Merito igitur quidam reprehenditur quod ea, quae solent ceteri cives tantum festivo die facere, cotidiano opere hic permiscet omnia:

Aeque profesto (ac festo) concelebrat focum[2],

id est, cuncta perperam agens, cotidianum opus festo die facit, sacrum profesto. — Alius apud Afranium negat se quidquam facturum: « Hodie ater est dies[3] ». Alius contra iubet prima luce sponsam exornari et auspicia haberi: « Cras est communis dies[4] ». Atri vel communes dies vocabantur ii qui kalendas vel nonas vel idus sequebantur, nefasti dies per quos omnia negotia iudiciaque manebant intermissa. « Hos postridianos, dicit Macrobius, maiores nostri... *atros*, velut infausta appellatione, damnaverunt; eosdem tamen nonnulli *communes*, velut ad emendationem nominis, vocitaverunt[5] ». Sic spectatores omnia maiorum instituta in Togatis tradita servataque agnoscebant, nec parva erat causa cur his spectaculis gauderent.

Alia quoque commemorare possim: has, ut exemplis utar, fabulas, quarum argumento quaerebatur quid ius civile permitteret, quid vetaret (*Libertus*, *Emancipatus*, *Vopiscus*); — vel ea vocabula *arse verse*[6], quae in ostio Romani inscribere solebant ad avertendum incendium, sive haec deprecatio, ut Festus contendit, in Tuscorum lingua *averte ignem* reipsa significabat, sive, ut vult Dacerius, aliquod erat carmen ad arbitrium fictum, « ut hodie fieri videmus ab his qui artes magicas tractant[7] »; — vel denique

[1] Atta, *Ex incert. fab.*, I et II. — [2] Afranius, *Privignus*, XIV. — [3] Id., *Fratriae*, IV. — [4] Atta, *Lucubratio*. — [5] Macrob., *Saturn.*, I, 16, 3. — [6] Afranius, *Ex incert. fab.*, IX. — [7] Apud Neukirch., p. 272.

hunc morem quo ianitores, ut a furibus domum defenderent, ianua catenis constricta excubabant :

Tintinnire ianitoris impedimenta audio[1].

Sed haec hactenus.

Res praecipuas percensuimus ad romanos usus spectantes quae nostros oculos magis sollicitabant. Ne autem obliviscamur nos fragmenta tantum habere. Quid, si fabulas ipsas teneremus? Facilius quidem est hodie aliquid de his rebus affirmare quam certum in modum documentis allatis probare : desunt enim pleraque documenta. Sed cum in versibus, qui sunt incolumes, ubique Roma et romani habitus appareant, nusquam autem Graecia se prodat, concludere ex fragmentis ad fabulam totam exque partibus conservatis ad universas partes amissas aequum esse mihi dabitur. Sic manifestum fit id quod principio dicebamus, aliquid vere proprieque romani Togatis inesse. — Et illud primum est.

II

Sed altius descendamus. Hoc secundum proprium est Togatarum, omnes personas in scaenam prodeuntes e plebeia vel saltem e mediocri fortuna oriri. Quod iam sciebamus; sed magis penitus res est nunc tractanda. Ergo non solum patrium, sed *populare* etiam hoc fabularum genus dici potest. In Praetextas inducuntur magistratus, imperatores, sacerdotes, senatores, quicumque summum in civitate obtinent locum; in Togatas autem privati, operarii, artifices, humiliores homines.

§ 1. — Quas enim personas Togatae nobis ante oculos proponunt? Modo paganos, modo parvorum incolas municipiorum, ut mulierem illam quae, cum Urbem venisset et interrogaretur vidissetne Tiberim, suae Setiae unice intenta et rata totum orbem terrarum in pagum suum intueri, respondebat :

... Vidi: qui illam derivet, beaverit
Agrum Setinum[2].

[1] Afranius, *Vopiscus*, XXVI. — [2] Titinius, *Setina*, XI.

Modo (et saepius quidem) Togatae ipsos Romae incolas in theatro ostendunt. Una ex Afranii comoediis *Cinerarius* inscripta est. Quae partes huic personae in fabula attributae essent, ex fragmentis ad nos traditis non licet dicere; sed constat hominem plebeia esse condicione, cum ex eo, quod capillos verteret calamistro sub cineribus supposito, nomen suum duceret. — In alia eiusdem Afranii fabula cuius titulus intercidit, quis, nisi sutor esset, posset his verbis iratus exclamare:

... mustriculam in dentes impingam tibi [1]?

Alibi, de quodam rustico pistore agitur cui puella formosa in eo est ut matrimonio quamvis invita iungatur. Tum quidam, ut defendat virginem eamque liberet a pistore, tale matrimonium rridet :

Pistori nubat? cur non scriblitario,
Ut mittat fratris filio lucuntulos [2]?

His personis in humili fortuna versatis annumeremus oportet promum cenae ministrandae praepositum, ex cuius nomine titulus Afranianae fabulae tractus est [3]. Addamus libertum, nondum his similem libertis qui postea, Claudio vel Nerone imperatore, imperio potientur vel arroganter, sicut ille apud Petronium Trimalchio, luxum et magnificentiam, argentum, aera, statuas eburneas ostentabunt, sed memorem adhuc originis suae ideoque vere-

[1] Afranius, *Ex incert. fab*, XIII. — [2] Id., *Fratriae*, III. — [3] Non possim dicere propter mutila fragmenta, utrum coquos Togatae admiserint necne. Hi Athenis, Alexandrina aetate, cum in civitate plurimi fiebant nec minus quam duces exercituum vel primores civium colebantur, tum inter praecipuas Novae Comoediae personas erant. Romae quoque, post bella punica, cum Graecia Latio mores, habitus, artes intulit, in dies creverunt; magis enim atque magis multum operae in epulis consumebatur et, ut verbis utar Livii, « coquus, vilissimum antiquis mancipium et aestimatione et usu, in pretio fuit; quod ministerium fuerat, ars haberi coepta » (XXXIX, 6). Sed unus Togatarum locus videtur in coquum quemdam cadere; qui, dum

Magnum ahenum, quando ervit, paula confutat trua,

gubernatori comparatur sapientia navem torquenti, non valentia (Titinius, *Setina*, XV). Quanquam, hoc ipso loco, quid obstat quin poeta tantummodo similitudine quadam uti voluerit neque coquum ipsum, ut personam fabulae, in scaenam posuerit? Nihil autem mirum si Togatae non saepius huiusmodi homines receperunt. Illi enim tantum coquos adhibebant qui numerosa familia utebantur. Quod quidem vivendi genus minime cum personis Togatarum congruebat : inde parva aut nulla coquorum mentio.

cunde se gerentem, modesto habitu, modesto sermone. — Addamus parasitum qui, quamvis in Graecia apud Menandrum et alios comicos saepissime occurreret, tamen a vita romana et moribus romanis minime abhorrebat. Cum apud Romanos non essent coetus illi hominum, quibus nos recentiores solemus delectari, quo nonnulli post cenam conveniunt nihil aliud studentes quam ut inter se colloquantur et diurnos labores omittant et sermonibus vel aliquo alio oblectamento recreentur, cives inter epulas ipsas volebant animum suum relaxari, et, ad hilare reddendum convivium, ridiculis hominibus et scurris utebantur. Non aliter faciebat, Horatio teste, Philippus ille orator qui,

... dum requiem, dum risus undique quaerit [1],

conspectum Vulteium Menam « vacua tonsoris in umbra » ad cenam invitat. De his Togatarum parasitis haud multa asseverare possumus, nam vix unum aut alterum fragmentum eorum mentionem habet [2]. Sed, quae est ceterarum natura personarum, eos minus ad effigiem Terentianorum quam Plautinorum parasitorum descriptos esse libenter crediderim. Non memoriam meam revocant ad Gnathonem, hominem urbanum, lepidum assentatorem, amantem voluptatis et victus elegantis, quem adversa fortuna, adeso patrimonio, coegit ad alios confugere et alienis vivere impensis, facile tamen unde alatur reperientem, a divitibus appetitum, nec minus nitidum et bene curata cute quam si non omnia abligurisset bona [3]. Sed potius illis miseris similes mihi videntur parasitis famelicis, esurientibus, quos Plautus depingit ferentes turpissima et ignominiosa aequo animo, plagarum et colaphorum patientes, ne prandio frustrentur, et si qua aula frangitur in caput, cum risu gratias domino agentes. Gnatho honesto genere natus erat; hi plagipatidae plebeii sunt homines [4].

[1] Horat., *Epist.*, I, 7, 78. — [2] Titinius, *Gemina*, VI; *Quintus*, III; Afranius, *Vopiscus*, XIV. — [3] Vide *Eunuchum* Terentii, praesertim, II, 2. — [4] Num necesse est dicam servos a Togatis non abfuisse? Omnes id facile suspicantur. Quomodo enim antiquae fabulae servis caruissent? Sed de iis parte alia loquemur; hic non est locus. Nunc cum iis tantum rem habemus qui, in plebem adscripti, vel liberi nati sunt vel libertatem adepti. Ceterum servi non videntur in Togatis primarias partes, velut apud Plautum, agere, neque eodem modo dominari; aut rarius obversantur, aut, quando apparent, non obliti suae condicionis, minime ingenuis hominibus superiores fieri conantur (cf. Donat., *in Eunuch. Terent.*, I, 1, 12). Nec cur minorem locum teneant,

§ 2. — Sed nullos unquam Togatae libentius et benignius videntur habuisse quam eos infimo loco opifices qui vestitus hominum mulierumque conficiebant. Pernotum est quantum post devictos Poenos luxuria adolevisset, et quam nihil ad coercendas muliebres munditias Oppia lex a Catone censore lata profecisset. Inde innumerabiles artes ad id unum creatae ut huic cultus libidini satisfacerent; inde turba illa,

... fullo, phrygio, aurifex, linarius,
Caupones patagiarii, indusiarii,
Flammearii, violarii, carinarii,
Aut manulearii, aut murobathrarii,
Propolae linteones, calceolarii,
Sedentarii sutores, diabathrarii etc..., etc...

quos senex Megadorus, dum lepide in Aulularia enumerat [1], non nisi multis verbis et longissima oratione totos percensere potest. Non mirabimur si quasdam ex his personis in comoedia togata agnoscimus; imo, illud fuisset mirum, eas omnino esse praetermissas. Sic, in *Barbato* Titinii, phrygio inducitur qui, quamvis artis peritus, tamen in animo instituit (quas ob causas incertum est) hanc dimittere :

... phrygio fui primo beneque id opus scivi :
Reliqui acus aciasque ero atque erae nostrae [2].

Sic haud semel de textoribus vel textricibus mentio est. Quaedam mulier a fullone obiurgatur quod, nova Penelope, intra decem annos nequivit unam togam detexere [3]. At illa obiurgationem aegre ferens :

Ni nos texamus (inquit), nil siet, fullones, vobis quaesti [4].

Sic denique ad fullones praesertim Togatae respexerunt.

Quanquam isti quidem non tantum in Togatis quantum in Atel-

obscura causa est. Illi homines quos Palliata scaenae committit, plerumque sunt locupletes, vivunt bene lauteque, neque ipsi per se omnibus vitae muneribus funguntur, sed servos habent qui ea curent. Personae contra Togatarum, quae in sordido quodam versantur artificio, pauperiores sunt quam ut servis utantur; in quaque familia pater materque et liberi omnia per se agunt et strenue laborant ad sustentandam vitam. Erravissent itaque Titinius, Atta et Afranius, neque res ad similitudinem veri rettulissent, si opifices et plebeculam istam romanam in fabulis a servis obscurari et primis partibus depelli sivissent.

[1] *Aulularia*, III, 5, 34 sq. (edid. Goetz et Schoell, Biblioth. Teubner.). — [2] Titinius, *Barbatus*, IV. — [3] Id., *Fullonia*, VII. — [4] *Ibid.*, VIII.

lanis aut mimis dominantur. Ex iis enim duas apud Pomponium[1] fabulas tractas reperimus, tres apud Novium[2], neque absurdum videtur si in aliis Atellanis amissis quasdam scurriles partes his rudibus personis commissas fuisse suspicamur. Sed ars fullonica facta erat res maximi momenti; fullonibus collegium erat in plerisque civitatibus, et dea patrona, Minerva, et annuae feriae quae vocabantur *Quinquatrus*; ipsi omnibus omnium ordinum notissimi erant, quippe necessarii; apud omnes in favore versabantur, ita ut Togatae non possent magnum locum illis quoque non concedere. Reminiscaris enim quam late patuerit togarum usus. Si popellum excerpseris sola tunica pulla utentem, omnes cives Romani, nonnihil suae dignitatis memores, non solum in Urbe, sed in provinciis etiam, non prodibant in publicum, nisi toga vestiti; et gentes externae, ut quaeque subiecta sub dominationem romanam veniebat, hanc victorum vestem festinanter adsciscebant. Nihil propter sinus amplitudinem toga nobilius et quod rerum dominis magis conveniret, nihil propter eximium candorem elegantius etiam inveniri poterat; nihil vero quod citius maculosum fieret. Quibus in togis mundandis fullones occupabantur; sed ut eas lavarent et redderent candidas, durus erat labor et foedus. Primo necesse erat ut vestimenta in ligneos lacus, aqua cretaque et aliis rebus plenos, coicerent; post, ea non manu premerent, sed, in aqua tripudiantes, pedibus calcarent ad cretam eliciendam[3]; denique, togam lautam, in cratem explicatam, sulfure adspersam, peniculo carminatam, prelo supponerent.

Hos varios labores, e quibus constabat ars fullonica, pictura quaedam, in domo Pompeiana reperta et hodie in Museo Neapolitano conservata, nobis egregie patefacit[4]. In pila quadrangula quatuor lacus apparent depicti, fullonem operi intentum quisque continentes[5]. E fullonibus unus, proximis columnis fultus, vestimenta pedibus premit, alii eluunt et plicant. Supra, iuvenis, tunica succincta, strigile laneam togam pectit e baculo suspensam, dum sedens mulier, quae videtur venisse emptionis causa, cum puella

[1] *Decuma fullonis*, *Fullones*. — [2] *Fullones*, *Fullones feriati*, *Fullonicum*. — [3] Inde haec apud Plautum : « Qui vestitu et creta occultant sese... » (*Aulul.*, IV, 9, 7). Inde, si qua mentio fit de comitiis, « creta candidatorum » apud Ciceronem (*pro Muren.*, XXIV, 49). — [4] Cf. Helbig, *Wandgemälde der vom Vesuv verschütteten Städte Campaniens*, n. 1502, p. 367. — [5] In alia domo recentius in lucem edita hi lacus mirabiliter integri permanserunt.

loquitur. Dextro pilae latere expanduntur et premuntur vestes. Sed iam eadem in fragmentis Togatarum deprehenduntur; iam enim fullones in fabula Titinii querebantur quam immodicis exercitationibus adstricti essent :

> Nec noctu nec diu licet fullonibus quiescant[1].

Aut eos irridebat aliquis quod, mutato elemento, in aqua, non iam in terra, vitam agerent, et pedibus in lacu, non verbis in sermone, argutari didicissent :

> Terra (enim) haec est, non aqua, ubi tu solitu's argutarier
> Pedibus, cretam dum compescis, vestimenta qui laves[2].

Adde quod fullones vulgo dicebantur esse hilari animo, suo indulgere genio, neque a petulantia in loquendo agendoque abhorrere : testis alia Pompeiana pictura quae (quantum coicere licet, quippe haud bene conservata est) quemdam festum diem a fullonibus celebratum exprimit : in qua videmus eos intemperanter in laetitiam effusos et summa licentia saltantes aut convivantes[3]. Eo magis plebeia Romanorum comoedia huiusmodi personas, quae risum facile populo movere poterant, sibimet omnino convenire iudicavit, eas potissimum dilexit et in scaenam saepe induxit.

§ 3. — Sed ad alias personas transeamus : supersunt enim nonnullae enumerandae quibus Togatae gaudebant. Has autem eadem inscriptas nota reperies qua illas prius memoratas, id est, omnes e plebecula ortas, et ad plebeculam delectandam quidquid dicant aut agant referentes. Ecce enim augur quidam in medium procedit; deridebitur in fabula illius divinatio; nam iste, quo melius spectantes qui de futuris interrogaverint decipiat et stupidos reddat, simulat se repente numine divino afflatum et quasi furore sacro esse incensum; tunc, toto corpore agitato, horribili voce vaticinatur :

> Modo postquam adripuit rabies hunc nostrum augurem,
> Mare, caelum, terram ruere ac tremere diceres[4].

Sed per hunc mirificum apparatum errore et stultitia communi abutitur; nihil enim aliud studet quam ut « nummos in loculum dimit-

[1] Titinius, *Fullonia*, IX. — [2] *Ibid.*, X. — [3] Cf. G. Boissier, *Promenades archéologiques*, Pompéi, p. 326-328, *et annot.* — [4] Afranius, *Augur*, I.

tat », et Romanorum animos, superstitione captos, facile quaestui esse sibi iudicat. Non latent hae machinae Afranium, fabulae auctorem. Augurem enim dicit blaterare[1], hoc est confingere mendacia, illius faciem quasi parietem esse fallaci aspectu, pictum sed putidum[2]; monet spectatores ut ab hoc artificio lucri causa exercito caveant: num fuerint correcti fabula spectatores dubium est.

Sed ne existimes hunc augurem, a quo irridendo non abstinebat Afranius, unum fuisse eorum, e quibus inclitum constabat collegium augurum, et in quos cooptatus fuit Cicero. Ili enim, ut scribebat Tullius ipse Caecinae[3], « augures publici » erant, et viri delecti, aliquid magni in republica gerentes. Ipsi fortasse de semet ipsis libenter loquebantur et dicebant secreto quod de haruspicibus traditur, non posse haruspicem non ridere, haruspicem cum videret[4]; sed alios idem loqui, praesertim in theatro, non permisissent. Itaque noster Afranius suum augurem inter hos privatos plebeiosque vates et divinos infimo genere elegit, qui in « fallacem circum vespertinumque forum » confluebant, et quibus Horatius, cum loca ista famosa, circulatoribus et furibus plena, pererrabat, gaudebat occurrere[5]. Qui apud popellum multum valebant; de omni re consulebantur, de matrimoniis, de puero nato, de nomine pueris imponendo; si quid eveniebat in vita, homines mulieresque omnes ad eos concurrebant. Iam ante Afranium Naevius fabulam docuerat quae *Ariolus* inscribitur; sed hic hariolus redolet Graeciam, prodit manifesto se ex peregrina patria esse profectum. Ille autem augur de quo nunc agimus, vere Romana persona, in Italia natus est, in Italia adolevit; ab omnibus statim agnoscebatur, cum in scaenam prodibat; summis ultimae caveae plausibus, quippe iamdudum in vico Tusco, in Circo, in Aggere familiaris, excipiebatur[6]. Mire igitur cum ceteris Togatarum personis congruit et plebeiam naturam huic insitam comoediarum generi confirmatiorem facit[7].

[1] *Augur*, IV. — [2] *Ibid.*, V. — [3] Cic., *ad Famil.*, VI, 6. — [4] Haec est vox Catonis (Cic., *de Divinat.*, II, 24; *de Nat. deor.*, I, 26), saepe commemorata, saepe autem perperam; in solos haruspices cadit, neque ullo modo ad augures sive publicos sive privatos transferenda est. — [5] Horat., *Sat.*, I, 6, 113. — [6] Iuvenal., VI, 588 :

Plebeium in Circo positum est et in Aggere fatum.

[7] Quam haec persona populo placuerit, habemus documentum ex eo quod inter Pomponii Bononiensis Atellanas et Laberii mimos duas cognomines Afraniano Auguri fabulas reperimus.

Plebeii quoque, si qui inducuntur in theatrum, sunt magistratus, ut testatur Attae *Aedilicia* fabula, quae circa aediles, id est magistratus plebi proximos, ludis faciendis praepositos, tota versabatur. — Quibus insuper actoribus, his ludis, mandatum fuit ut in risus solverent spectatores? Ex uno fabulae conservato versu discimus hanc provinciam planipedibus commissam fuisse, omnium infimis et vilissimis actoribus, qui non cothurno vel socco in scaena sed plano pede tantum uterentur. Quam effusa enim planipedum erit laetitia, si munificos se praebuerint magistratus!

Daturin' estis aurum? exsultat planipes[1].

Nulla ergo in fabulis persona quae non sit ad vulgi intellegentiam et familiaritatem optime accommodata.

Plebeiae denique sunt feriae quae Attae et Afranio suppeditarunt unde titulos et argumenta fabularum sumerent. Sive enim *Megalensia* docebant, quibus Magna Mater Idaea, Pessinuntica dea, celebrabatur[2], sive praesertim *Compitalia* in honorem Larum Compitalium acta, quae nullis aliis hominibus magis quam minutae plebi ac servis placebant, num possumus dubitare, quamvis trunca fragmenta de hac re taceant, quin inde ad tumultum et solutam laetitiam et licentiam huius lascivientis multitudinis describendam feracem materiam invenerint? Hae fabulae profecto gratae erant spectatoribus, cum posteriores poetae comici Togatarum auctores secuti sint, et Pomponius fabulam inscriptam *Quinquatrus*, quae propriae fullonum feriae essent, Laberius *Compitalia* et *Saturnalia* composuerit. Quam incommode accidit ut eae fabulae tantum non totae perierint! Quamvis Patin haud male, ut aliquam speciem amissarum comoediarum capiamus, illos referat versus quibus Ovidius, in eiusdem generis materia versatus,

Annae festum geniale Perennae

[1] *Aedilicia*, I. — [2] Secundo bello Punico, postquam Magna Mater splendido apparatu Romam importata fuit, nobiles ad celebrandam huius rei memoriam *sodalitates* instituerunt quae, inter se invitantes, opipare epulabantur: unde epulae dicebantur *mutitationes*. (Mommsen, *op. cit.*, t. IV, p. 168 et 179-180). Num autem putandum est ludos publicos, Megalenses vocatos, his domesticis feriis fuisse similes, primoribus reservatos, neque eorum in partem totum populum venisse?

propter Anienem flumen celebratum iucunde describit[1], tamen aliquid insuper desideratur, et claudicat similitudo. Evanuerunt enim haec personarum colloquia, qualia apud Afranium vel Attam debebant esse, hic scaenarum motus, qualis est cum res ante spectantium ipsos oculos agitur, et, ut omnia breviter comprehendam, haec ipsa fabulae vita. Quae cum deficiunt, nulla narratione supplentur.

§ 4. — Tenemus nunc quos homines, quo loco natos Togatae in theatrum traducant, humiles personas, omnes in aliquo negotio ad victum quaerendum occupatas, fullones, sutores, pistores, textores, cinerarios etc. Haud frequenter autem huiusmodi homines in Palliatas comoedias prodeunt. Plautus enim aliquando de opificibus vel hominibus artem aliquam exercentibus sermonem habet, sed perraro ipsos in scaena ostendit et loquentes agentesque adhibet. Omittamus milites gloriosos, coquos, lenones, meretrices, omnes personas quae manifestius e graeca comoedia Romam transfugerunt ; quin, milites gloriosi plane etiam ignoti omni tempore Romanis fuerunt. Sed illi quorum artificium a romanis moribus non abhorrebat, quam pauci Plautinas fabulas legenti occurrunt! Invenies parasitos quidem quos, quamvis e Graecia desumptos, Plautus effecit et rusticitate iocorum et misera vitae condicione vere Romanos. Invenies trapezitas quoque vel argentarios, in Forum ad Ianos convenientes, aeque utiles et patribus avaris qui apud eos pecuniam faenori collocant, et libidinosis filiis qui inde mutuantur quod stulte in voluptates profundant. Invenies medicos, tam artis ignaros quam praefidentes sibi et iactantiae plenos, qui graece loquuntur, verba edunt sesquipedalia, omnia se scire profitentur nec quidquam sciunt[2]. Haud intempestive Plautus eos irridebat, quippe hoc potissimum tempore medicina graeca Romam importata in omnium sermone versabatur, sive alii eam, ut cetera graeca, cum favore excipiebant, sive alii quibus

[1] Patin, *Po sie latine*, II, p. 314-315. — [2] In *Menaechmis* (V, 4 et 5) unus ex hoc genere arcessitur ut Menaechmo quem omnes insanire putant medeatur, et, quamvis sit Menaechmus sanissimus, dicit eum curandum esse toto ellebori iugere (V, 5, 15). In *Curculione* quoque quaedam persona, simulans se esse medicum, irridet solita istorum responsa. Aegro dolenti quod « cruciatur iecur, » « tum te igitur, [dicit ille], morbus agitat hepatarius » (II, 1, 24) : dignum sane quod a nostri Molieri medicis proferatur. — In *Menaechmis* mentio fit quoque de phrygione (III, 2,4); sed is non magis quam ceteri apparet in scaena : manet post siparium.

priscus praeerat Cato, vehementer adversabantur. Invenies denique piscatores qui suavi cantico laboriosam ac tristem vitam leniter queruntur et, quam sibi condicionem dii fecerint, aequo animo accipiunt[1]. Sed, his enumeratis, omnes vel fere omnes eiusdem generis commemoraveris. Quin etiam, nullus eorum in primas fabulae partes promovetur; sed secundas semper vel tertias agunt, nec plus una scaena plerumque apparent.

Quod ad ceteras fabularum personas spectat, quid negotii agant, quem in civitate locum teneant, scire profecto velimus, sed plane nescimus. Num isti adulescentes, quibus refertae sunt comoediae, omne vitae studium in ea una re collocant ut patri pecuniam rapiant et amica, fraudato lenone, potiantur? Num rursus patres nihil aliud his terris sibi curandum putant, nisi ut a dolis machinationibusque servorum caveant, atque, apud lenonem filiis rivales turpiter facti[2], earumdem libidinum sint participes? Num tota utrorumque vita circa scortorum amationes occupatur[3]? Nihil autem aliud poeta nos docet. — Cuius rei insigne documentum ex fabula quae inscribitur *Mercator* petimus. Nam, lecto titulo, omnes arbitramur fore ut hic de mercatura agatur et, cum labores, tempestates, pericula mercatori sint subeunda, quam inde peculiarem indolem sumpserit monstretur. Fallimur autem exspectatione, et a certo argumento quod sperabamus Plautus evagatur. Nullo enim modo fabula in rebus negotiatoriis versatur, sed tota, velut ceterae, in iuvenis amoribus; neque Charinus dissimilis est ceterorum amantium; de puella patri subtrahenda solummodo cogitat: eadem sunt omnia semper. Hic adulescens reipsa non mercator dici potest; non enim negotiatur ut vitam sustentet aut rem augeat; sed, cum amore cuiusdam meretricis deperiret atque illico

Res exsulatum ad illam clam abiret patris,[4]

pater iratus, ne tota fortuna laceraretur, hunc misit mercatum donec emendatus rediret. Poenas filius dat ad tempus, et eas quibus omnes luxuriosi adolescentes a patribus affici solebant; non ex mercatura genus aetatis degendae sibi constituit. Plautus ergo

[1] *Rudens*, II, 1. — [2] *Bacchid.*, (sub fin., *Caterva*, 4). — [3] Gloriatur poeta in *Captivis* quod amationibus abstinuit (sub fin., *Caterva*, 2); non autem altero fabularum loco haec pudicitiae cura animadvertitur. — [4] *Mercator*, I, 1, 43.

satis habuit si latine Ἔμπορον Philemonis verteret[1], nec curavit Romanorum mercatorum mores exprimere.

Ut vera dicam, personae Plautinae nullam exercere artem lucri faciendi causa videntur, ideoque a personis Togatarum magnopere discrepant. Hi, ut vidimus, e plebe oriebantur, operose laborabant ; illi autem inter eos ponendi sunt qui genere, fortuna, divitiis, super ceteros attolluntur nec nisi munere publico funguntur. Iisdem falsis opinionibus ducuntur quibus nobiles romani et patricii, qui persuasum habebant omne artificium indignum sui esse praeter castrensem aut rusticam vitam, quaestum omnem indecorum esse, nec posse se, salva patricia dignitate, ad nonnullam operae mercedem descendere : quae quidem omnia plebeculae, libertis aut peregrinis, iubentibus ipsis legibus, relinquebantur. Noverat certe Plautus parvos istos tabernarios in Foro aut Velabro aut vico Tusco merces suas vendentes; nunquam tamen, nisi transeundo, de his locutus est : humiliores erant personae quam ut in fabulam palliatam admitterentur. Eas autem sic contemptim a fastidiosa Palliata reiectas Togata benigne recepit, intellexitque mirum in modum sibi convenire, et iniuriam ulta est, principem iis locum in fabulis suis concedendo.

III

Sed, quamvis haec duo discrimina, quibus eminet Togata, iam per se multum valeant, est tamen quiddam tertium quod a ceteris fabularum sive tragicarum sive comicarum varietatibus illam praesertim secernit ostenditque quid vere proprii ac genuini habeat. Est enim genus comoediae *domesticum*, hoc est, genus eiusmodi ut ad secreta domorum usque descendat, in privatos etiam lares intueatur, vitam intimam et penetralia civium detegat detectaque coram Romanis spectantibus in theatrum traducat. Hoc adhuc insolitum, hoc in fabulis plane novum. Antea enim, vitam foris actam, personas domo egressas, in viis vel foro errantes, in viis loquentes, in viis altercantes comoediae tantummodo inducere solebant. Perraro ianuam domorum aperiebant ut, quid

[1] *Mercat.*, 9-10.

intus ageretur, limis oculis spectarent; rarius etiam limen ipsum transibant. Non quod et patres et filii et uxores etiam a fabulis palliatis abessent; sed totum, ut vidimus, argumentum circa meretricum amores erat. Haud iniuria in Plautum ipsum illud a Plauto dictum cadere possit, scortorum plus esse fere « quam olim muscarum'st, quom caletur maxume [1] »; adeo in eis pingendis magnam et frequentem operam insumit. In omni enim fere fabula agitur de meretrice severe apud lenonem custodita. Amat eam iuvenis, patre adversante, servo et interdum matre ipsa adiuvantibus. Qua ratione, quibus astutiis adulescens patrem et lenonem sit ludificaturus ut amicam possideat, id ambigitur; inde pendent omnia, huc omnia in unaquaque comoedia vergunt. Proinde quis non videt per talia argumenta nullum locum relinqui ut domestici mores describantur? Nihil iuvenis antiquius habet quam paternam domum deserere et currere ad suos amores, si possit cum amica colloqui. Festinat pater uxorem fugere difficilem et querulam; vult quoque clanculum foedis indulgere libidinibus. Tunc uxor maritum persequi et voce acri increpare; servus semper trepidans e portu ad urbem, e foro ad aedes venire, cursitare, ferre nuntios, dolos machinari. Omnes hi quasi uno consensu totum diem in publico agunt. Namque iusserunt leges, quid intimi insit genti romanae, e conspectu abire nec in theatrum produci.

Attamen hanc interiorem vitam comoedia togata audet introspicere et patefacere. Quae res manifesta fit ex eo quod in Togatis haud mediocres partes iustae uxores et virgines sustinent; praeter consuetudinem plurimi aestimantur. Inde multi tituli a mulierum nominibus petiti (*Setina*, *Brundisinae*, *Ulubrana*, *Fratriae*, *Materterae*, *Sorores*, *Gemina*, *Iurisperita*, *Privigna*, *Socrus*, *Virgo*, etc.), quod nunquam fit apud Plautum, raro apud Terentium. Inde fragmenta ad nos servata, quibus idem confirmatur, ut fusius infra monstrabimus. Quomodo autem res ita mutatae sint et Togata eo pervenerit audaciae ut familiam ipsam scaenae committeret, operae pretium est indicare et in eo paulisper commorari.

[1] *Truculentus*, I, 1, 46

§ 1.

Primis temporibus, donec pristina stat disciplina, nihil magis quam familia omnium veneratione colitur. Illi cives, quos religio matrimonio iunxit, a religione nescio quid sacrosancti sumunt[1]. Eos lacessere, deridere nefas sit, ideoque severe legibus coercitum. Tota domus, circa patrem glomerata, praepotenti eius auctoritati obnoxia est. Pater solus sui iuris, ceteri illius in manu vel in potestate versantur, uxor, liberi, clientes, — ne loquar de servis.

Omnes consentiunt, — et per multa quidem saecula, — mulierem semper in tutela et in quadam servitute tenendam esse, alii propter infirmitatem eius consilii aut animi levitatem, alii quod est animal natura indomitum, alii quod sexus imbecillus et invalidus. Itaque nunquam est reipsa emancipata. Virgo, in manu est patris; nupta, in manu viri ; si vir defunctus est, in manum recidit patris; si pater non est, proximi agnati; si agnatus non est, nonnullius ex gentilibus. Ab omni re agenda, etiam privata, nisi tutor adest, interdicitur. Ea est viri auctoritas ut, si velit, in eam saevire, nihil interponentibus se magistratibus, possit. Licet ei, si vinum uxor biberit, eam poena mulctare, si adultera erit deprehensa, statim iniudicatam necare. Quod Cato nos docet, et addit haec verba. « In adulterio uxorem tuam si prehendisses, sine iudicio impune necares ; illa te, si adulterares..., digito non auderet contingere, neque ius est[2]. » Itaque anus Syra in *Mercatore* Plauti condicionem mulierum querebatur[3]:

... lege dura vivunt mulieres
Multoque iniquiore miserae quam viri,

aiebat et indignabatur ob idem peccatum commissum non easdem poenas a maritis quas ab uxoribus repeti :

Qui minus vir una uxore contentus siet ?...
... uxor contenta'st, quae bona'est, uno viro.
Utinam lex esset eadem, quae uxori'st, viro !

[1] « Quid est sanctius, quid omni religione munitius, quam domus uniuscuiusque civium? Hic arae sunt, hic foci, hic dii penates ; hic sacra, religiones, caerimoniae continentur » (Cicer., *Pro domo*. XLI). — [2] H. Iordan, *Catonis quae extant*, p. 68, LXVIII, 1 et 2. — [3] *Mercator*, IV, 6.

Scio quidem rem non ultra id quod verum est fingendam. Consuetudo enim vitae ex illa duritia legis multum leniebat; in atrio, quo familia solebat congregari, quo amici hospitesque recipiebantur, matronae, prope domesticum focum, iuxta maritum sedentes, magnam plerumque venerationem habebant, nedum, velut apud Graecos, in secretam domus partem, procul ab hominum oculis, relegarentur[1]. Prout autem in virum natura asperum inciderant, tunc, lege nihil obstante, hanc servitutem muliebrem, de qua loquuntur scriptores[2], admodum experiebantur; M. Porcius Cato, ut exemplo utar, rigida maiorum disciplina imbutus, truci animo[3], cum non posset satis mirari eas egredi domo et in publicum prodire, civibus praecipiebat ut « in sua quisque matre familiae ius et maiestatem viri retinerent[4] ».

Haec de mulieribus. In liberos autem non minus severiora iura patri reservantur. Eos vendere, vinculis constringere, etiam occidere ex arbitrio suo aeque potest, neque ullam cuiquam rationem factorum debet. Sic apud Plautum parasitus quidam, ventris causa, vult vendere filiam suam, ut ei satisfaciat apud quem solet cenare, et repugnantem puellam iubet parere : « Mea es, inquit; meum est imperium in te[5] ». ; neque ultra id quod concedebatur legibus loquitur. Fatetur ipsa virgo : « Tua istaec potestas est, pater. » Quis tunc miretur, viris tam auctoritatis studiosis et iuris sui tenacibus, gente tam fortiter constituta, legibus privatos penates tam efficaciter tuentibus, nullam his temporibus exstitisse poetam qui familiam, ne paululum quidem, attingere auderet.

Sed quomodo res potuissent eaedem semper manere? Sexto ipso Urbis conditae saeculo, post bella punica, morum evenit commutatio, qua nullam maiorem Roma unquam experta est. Nullis enim aliis temporibus respublica unquam in magis dubias turbidasque res immissa est et gravioribus periculis iactata. Ubi autem ex tempestate evasit, in novo rerum statu novis institutis ei opus fuit; nam ea quae pristinae civitati intra septem colles artatae conveniebant, non iam ad futuros terrarum orbis dominos erant accommodata. Neque haec perturbatio in res publicas solum cadebat, sed necesse erat in mores privatos usque redundaret.

[1] Gide, *Etude sur la condition de la femme*, p. 109. — [2] Livius, XXXIV, 7. — [3] Id., XXXIV, 5. — [4] Id., XXXIV, 2. — [5] Plautus, *Persa*, III, 1, 16-17.

Maiorum domesticae virtutes, nunc fractae et debilitatae, irrumpentibus insuper moribus et doctrinis graecis, num poterant etiam resistere? Id quod bella adversus Poenos inchoaverant, a Graecia luxuriae et licentiae amanti totum consummatum est : paucis post annis integritas familiae perierat.

Contendit Titus Livius causam initiumque corruptelae morum triumphum illum Cn. Manlii Vulsonis de Galatis fuisse. « Luxuriae peregrinae, inquit, origo ab exercitu asiatico invecta in urbem est [1]. » Difficile autem videtur ad tempus tam certum quam notat Livius hanc corruptelam referre. Non enim die stata neque uno quasi horae momento mutantur mores : paulatim sese insinuat venenum. Iampridem Romani Graecis commercio miscebantur, et, antequam legiones Asiaticam terram calcarent, iam cultus graecus Romam penetraverat. Haec duo tamen concedenda sunt, et, post punica bella Romanos repente multo acriore studio ad res Graecas inclinavisse, et bella in Asia gesta, si non unice, at plurimum saltem supremumque valuisse ad corrumpendos mores. Hannibale enim superato, cives liberati metu et primum ex sedecim annis respirantes, frui tranquillitate et aliquid relaxamenti vitae severiori afferri per voluptates volebant. Hoc autem potissimum tempore, versis ad gaudia omnium animis, imbellem Asiam attigerunt, deliciis perfluentem, omnibus maximisque libidinum illecebris repletam : capti et medullitus allecti, exquisitae illi et praepotenti mollitiae vehementer obsecuti sunt : de antiqua severitate actum fuit.

Non quod adhuc sanctitas gentis omnino integra mansisset neque ulla lis uxoria aut peius etiam aliquid inter coniuges coortum esset : supra dixi annis opus esse ut mores praecipites eant. Sed quamdiu maritus suam in mulierem summam potestatem retinuit, qua arbitrium etiam vitae necisque concedebatur, quidquid peccatum erat in privato puniebatur nec quidquam emana-

[1] Livius XXXIX, 6. — Fateor nova quaedam tunc primum Romae conspecta fuisse, quae adhuc plane ignorabantur. « Primum lectos aeratos, vestem stragulam pretiosam, plagulas, et alia textilia, et, quae tum magnificae supellectilis habebantur, monopodia et abacos Romam advexerunt : tunc psaltriae sambucistriaeque, et convivalia ludionum oblectamenta addita epulis... » Fateor quoque Cn. Manlium in triumpho duxisse immensas divitias quas populis finitimis ereptas Galli Asiatici in montes suos congesserant, et mirifica spolia prae se tulisse (Livius, *ibid.*, 7). Sed haec omnia integritati morum extremam plagam iniecerunt, non primam.

bat foras[1]. Maiores nolebant uxori per publicum iudicium gravius dedecus imprimi; hoc studebant, ut infamia domus media in ipsa domo maneret in aeternum sepulta. Sub finem autem sexti saeculi vita domestica in annos solvitur; vincula, quibus gens inter se coniuncta erat et tota ex patre pendebat, magis magisque laxantur. Olim, quamvis divortium non vetaretur antiquis legibus, imo inscriberetur duodecim Tabulis, tamen eiusmodi erant privatorum mores ut marito nunquam opus esset suo iure uti; inter omnes veteres scriptores convenit nullum per quinque prima Urbis conditae saecula exstitisse matrimonii soluti exemplum[2]. Nunc maiora pluraque fiunt privata flagitia, magis praesertim famosa et pervulgata, et exemplo aliis nocent; divortia et adulteria in frequenti usu et in omnium sermonibus versantur; mulier fit paulatim emancipata.

Quanam ratione ea evenerit emancipatio, iureconsulti nos docent. Primis temporibus, non penes uxorem dos manebat quam illa in nubendo secum attulerat; sed, matrimonio perfecto, quia uxor in manum mariti conveniebat, « omnia quae mulieris fuerant viri fiebant dotis nomine[3] ». Donec matrimonium res sacra et consociatio non solvenda habitum fuit, nihil hoc uxori nocuit : omnia enim inter coniuges esse communia et in unum conferri, natura ipsa coniugii quodam modo cogebat. Divortiis autem crescentibus, cum valde ad rempublicam interesset mulierem a marito digressam ad alias nuptias transire posse et rarus esset qui feminam ducere indotatam non recusavisset[4], necesse fuit ut dos mulieris seiungeretur, et dotale matrimonium inventum est. Romani, de hac re una obliti antiquae consuetudinis, dotem extra potentiam patris vel mariti posuerunt eamque, exceptione facta, decreverunt tutam esse ab omnibus periculis

1 Memento, ut exemplo utar, quomodo res sese habuerint, cum senatus Bacchanalia compressit (Livius, XXXIX, 18 : « Mulieres damnatas cognatis, aut in quorum manu essent, tradebant, ut ipsi in privato animadverterent in eas. ») — 2 Is, qui primus divortium fecit, Spurius Carvilius (Plutarch., *Comparatio Thesei cum Romulo*, 6), initio sexti saeculi u. c. vixit. — Cf. Gell., IV, 3; Valer. Max., II, 1, 4. — 3 Cic., *Topic.*, IV. — 4 Etiamnunc in theatro, sed in theatro tantum, hae praeclarae sententiae quibus creverat res romana, editae a tragoediarum personis, audiebantur : « Duxit uxorem sibi liberum quaesundum causa »; sic loquebatur aliquis apud Ennium (*Cresphont.*, IV, Ribbeck); re autem ipsa, omnes fere matrimonio id unum quaerebant, ut per beatam uxorem ditescerent.

quibus cetera bona obnoxia erant. Quamcumque ergo condicionem mulier experiebatur, sive vendebatur a patre, sive ab alieno adoptabatur, sive in manum mariti conveniebat, neque rapi neque minui dos poterat. Uxori in his condicionibus versatae non licebat ullum bonum possidere ; tamen dos « naturaliter in eius permanebat dominio ». Quamvis non ex iure, dotem re vera possidebat; aut, ut alia verba ex lege quoque petita usurpem, « quamvis in bonis mariti dos esset, mulieris tamen erat[1] ».

Dote recuperata, primus erat uxoris ad emancipationem gradus : divortio constituto et in consuetudinem verso, absoluta est emancipatio. Nam, ubi dotem non iam abalienaverunt, mulieres, cum a viro digrediebantur, sua secum bona auferebant. Eo modo timorem maritis inicere coeperunt. Si qua enim earum in nonnulla re offendebatur et succensebat coniugi, divortium minando ad mitiores animos facile eum reducebat. Eo res pervenerant, praesertim cum maritus pauper erat, ut saepe, mutatis personis, uxor partes dominae, vir autem servi partes ageret. Multi, ut Demaenetus senex in *Asinaria* Plauti, exclamare poterant :

> Argentum accepi, dote imperium vendidi[2],

vel, ut ad Togatas nostras revertar, eadem meditari quae illa Titiniana persona :

> ... dotibus deleniti ultro etiam uxoribus ancillantur[3].

Feminae enim « dote ferae, feroces[4] », superbe loquebantur, a viro expostulabant ut omni ipsarum libidini satisfaceret, semper suam ei paupertatem exprobrantes :

> ... Equidem dotem ad te adtuli
> Maiorem multo, quam tibi erat pecunia.
> Enim mihi quidem aequom' st purpuram atque aurum dari,
> Ancillas, mulos, muliones, pedissequos,
> Salutigerulos pueros, vehicula, qui vehar[5].

Et, enumerata infinita opificum serie quibus matronae ad munditias et cultum utebantur, addebat sapiens Megadorus :

> Haec sunt atque aliae multae in magnis dotibus
> Incommoditates, sumptusque intolerabileis[6].

[1] Dig., XXIII, 3, 75. — [2] *Asinaria*, I, 1, 74. — [3] Titinius, *Prilia*, III. — [4] Plautus, *Menaechm.*, V, 2. — [5] *Aulularia*, III, 5, 24 sq. — [6] *Ibid.*, 58-59.

Sed mariti cogebantur obtemperare et feminis morem gerere et omnes condiciones ab iis statutas recipere, nisi vellent cunctas divitias divortio abire :

Dotatae mactant et malo et damno viros[1].

Quod videns, exclamabat Cato : « Omnes homines mulieribus imperant ; nos ceteris hominibus imperamus, nobis autem nostrae mulieres[2]. » Adde quod, adiuvantibus iureconsultis, permissum est patrifamilias ut testamento tutorem uxoris designaret. Mox, paterfamilias iamiam moriturus, ut gratus esset uxori, ius ei dedit quem vellet tutorem sibi eligendi (quod vocabatur *optio tutelae*). Tunc uxor, connivente tutore, per coemptionem veniebat in potestatem novi mariti ; sed is, indulgens vir, ex composito coniugem properabat vendere interpositae personae quae eam manumittebat. Ita, callidis ambagibus, lex fraudabatur et mulier in plenam libertatem se vindicabat: ipsi iureconsulti elaborabant ut vetus disciplina everteretur. Ideo facete Cicero, causa L. Murenae contra Servium Sulpicium suscepta, dicebat : « Cum permulta praeclare legibus essent constituta, ea iureconsultorum ingeniis pleraque corrupta ac depravata sunt[3]. »

Quantum, extremo sexto saeculo, familia a pristino statu deflexisset, quam fracta et deminuta viri auctoritas, quos contra superbos spiritus mulier concepisset, legibus et iure inspectis monstravimus. Sed in litteras nunc intuenti pariter testimonia tibi occurrent eiusdem mollitiae sese in familiam insinuantis, — duos apud praesertim auctores, quorum alter orationibus, alter satiris vehementissime in mulieres invecti sunt : Cato et Lucilius. Indignabatur Cato feminas nihil aliud curare nisi ut pulchre ornarentur[4], et maximos sumptus impendere ad servos, aurum, purpuram, vehicula habenda, et capillos cinere flavo unctitare ut rutili essent[5]. Mente vix constabat quod indomita ista animalia, quae frenare oportuit, nunc emissa viros sibi subiecissent; et totam implebat urbem furore, vel, ut dicit Livius, latratibus[6].

Inde tria legum genera, quae aut ipse rogavit aut ab aliis rogata

[1] *Aulular.*, III, 5, 61. — [2] Plutarch., *Cato Maior*, VIII, 4. — [3] *Pro Muren.* XII, 27. — [4] Cato (*Orig.*, VII, 8) haec ornamenta enumerat : « arsinea, rete, diadema, coronas aureas, rusceas fascias, galbeos lineos, pelles, redimicula. » — [5] Id., *Orig.* VII, 9. — [6] Liv. XXXVIII, 54.

suasit, ut fastum immodicum arrogantiamque matronarum coercere conaretur : sumptuariae leges in luxuriam epularum, lex a Gaio Oppio tribuno lata de vestimentis et vehiculis muliebribus [1], lex Voconia, multo infensior feminis, qua « ab omnium omnino civium hereditatibus removebantur [2] ». Quas cunctas acerrima, ut solebat, asperitate defendit, sed frustra : in hoc certamine victrices mulieres pleraque iura parta servaverunt.

Quam parum vetus censor profecerit, ex fragmentis quoque Lucilii praeclare intellegitur. Hic enim omnia vitia, quae vivus ille insectatus erat, lacessere iterum, quippe vigentia semper etiamque ingravescentia in dies, coactus est. Mulieres ergo prosequitur dicacitate et odio ; eis succenset luxuriae munditiarumque causa ; nam id tantum curant

domi sint
Gerdius, ancillae, pueri, zonariu', textor [3].

Sed dum ad cultum unice intentae sunt,

Lanai opus omne perit; pallor, tineae omnia caedunt [4].

Neque ornantur ut gratiores sint marito. Si cum illo versantur, quodvis vestimentum satis est ;

visuri alieni
Sint homines, spiras, pallam, redimicula promunt [5].

Eo pervenerunt libertatis ut quamdam semper causam confingant ad egrediendum foras, nedum fideliter domi, velut olim, maneant. Modo illis eundum est ad aurificem, ad matrem aut cognatam aut amicam [6] ; modo operantur aliquo in fano cum aequalibus [7]. Quae cum ita sint, difficile est coniugibus perseveranti inter se concordia unoque animo vivere ; nec dubitat Lucilius in has discordias penetrare iurgiaque domestica patefacere lectoribus. Ostendit eas, quippe ditiore vel nobiliore ortas loco, superbas, arrogantes, despicientes maritum, volentes

[1] Livius, XXXIV, 1 : « Ne qua mulier plus semunciam auri haberet; neu vestimento versicolori uteretur; neu iuncto vehiculo in urbe oppidove, aut propius inde mille passus, nisi sacrorum publicorum causa, veheretur. » — [2] Id., XLI, 28. — [3] Lucilius, XXX, 40 (edid. Muller). — [4] Id., XXX, 56. — [5] XV, 18. — [6] XXX, 54. — [7] XXX, 55.

dominas esse, imperare, eum « iugo iungere[1] », improbas[2], et quanto sint blandiores, tanto vehementius mordentes[3]; maritum contra mulieri servientem, atque, accepta iniuria, coactum tamen pacem petere, uxorem placare, adire, appellare suam[4], prohibitum etiam ne alloquatur dominam, cum alloqui dominum ne servis quidem negetur[5]. Aliquando tamen maritus rebellat et increpat mulierem :

Omnes formosi, fortes tibi; ego improbus : esto[6].

Invitam frenis subigere et domare sibi proponit[7]; aut, ira efferatus, exclamat :

(Illa) lignum caedat, pensum faciat, aedes verrat, vapulet[8].

Amico etiam suadenti ut exterminet miseram[9], assentitur, divortium facit, mittit repudium[10].— Ecce omnia mala per emancipationem mulieris in Penates importata. Itaque Lucilius optimum putat esse homini, abstinere a matrimonio :

Homines ipsi hanc sibi molestiam ultro atque aerumnam offerunt :
Ducunt uxores[11].

Nullum alium invenias versum qui melius, quae sit vera Lucilii sententia, exprimat ; eamque propria confirmavit agendi ratione, curando ut caelebs maneret.

§ 2.

Lucilius, illustri loco natus, eques Romanus, dives, amicitia cum summis viris, Laelio et Scipione, coniunctus, monstraverat (res adhuc poetis plerumque libertinis negata) quidquid eis licebat tentare. Inde quadam necessitate sequebatur ut auctores quoque fabularum ad domesticos Romanorum mores oculos verterent familiamque scaenae traderent. Satirae igitur Lucilii non sunt seiungendae a Togatis Attae vel Afranii; nam utraeque,

[1] Lucilius, XXX, 52. — [2] XXX, 39. — [3] XXX, 64. — [4] XXVII, 17. — [5] XXVII, 18. — [6] XXX, 89. — [7] XXX, 51. — [8] XXVII, 46. — [9] XXIX, 56. — [10] XXIX, 42. — [11] XXVI, 70.

diverso quidem more diversoque scribendi genere, eadem tamen conantur. Sed quanto valentiores, quanto exitiosiores vi, fabulae debebant esse ! si quidem

> Segnius irritant animos demissa per aurem
> Quam quae sunt oculis subiecta fidelibus, et quae
> Ipse sibi tradit spectator [1].

Non autem ante Lucilianum aevum ad hanc ventum est libertatem dicendi ut corruptela domus romanae in theatrum induceretur : oportebat enim ea mutatio morum, de qua longius disseruimus, iam perficeretur ; oportebat quoque exemplum Lucilii ceteros incitaret ad similia audenda.

Itaque, si fabulas Plautinas evolvis, nondum quidquam apparet, quod ad feminas attinet, immutatum. De iis cautus poeta, cum non studeat eadem acerba experiri quae Naevius, quamvis ingenuus, erat expertus, moderatissima loquitur lingua et intra veniam legum. In primis, matrimonii sanctitatem quam maxima cura tuetur. Qui de aliis rebus personisque, de senibus, de senatoribus etiam [2], tam effusus est in spargendo sale, cum incidit de virginibus aut matronis mentio, gravior subito factus, modum verborum retinet et petulantiae iocorum finem imponit. Quin, quo verius loquar, adeo timet ne laedat non laedenda, ut de iis plerumque tacere malit. Inde virginibus ingenuis minimas partes, ne dicam nullas, in fabulis concedit ; sed earum in locum inducit meretrices ; nec castum candidumque, sed emptum pecunia amorem fere solum depingit. Quantum meretrix quaedam a iuvene ametur et quid ex hac libidine omnibus personis sit eventurum, id est, discordia inter patrem filiumque, inter maritum et uxorem commota, omnis reverentia omissa, patrimonium profusum,praepotentes facti isti nihili homines, parasiti servique, ad quorum opem confugitur : hoc non in una aut altera sed in quaque fabula Plauti obversatur. Quomodo non contaminaretur puellarum innocentia, talibus personis si miscerentur ?

Itaque ab oculis spectatorum diligenter erant removendae. Apud Graecos quoque auctores puella praetermissa fuerat. In *Oeconomicis* Xenophontis nihil reperitur quod ad illam proprie

[1] Horatius, *Ars Poetica*, v. 180 sq. — [2] *Asinaria*. V, 2 ; *Casina*, III, 2.

pertineat; in *Nubibus* Aristophanis de filio educando, nusquam de filia agitur : apud Plautum non aliter. Si septem vel octo fabulas exceperis[1], virgines ingenuae in eius comoediam non admittuntur. Quin, etiam cum admittuntur, in exitu tantum argumenti pleraeque reperiuntur ingenuae. Dum reliqua fabula agebatur, quoniam parvulae raptae fuerant et in servitutem redactae, reipsa servili esse origine credebantur[2]. Poeta quidem, ab initio fabulae, multum curaverat ut mulieris famae decorique parceretur. Nolebat illam, cum ultimo actu deberet filia civis cuiusdam agnosci, quidquam dicere vel facere quod non dignum fuisset quae ingenua postea agnosceretur. Sic in *Rudente* Palaestra, in *Cistellaria* Selenium, in *Curculione* Planesium suavius et tenerius et delicatius sentiunt loquunturve quam pro fortuna praesenti. Omnia declarant eas condicionem pati a lenone iniunctam, non quam merentur. Sed, quanquam multum innocentiae et castitatis, ut in hoc artificio turpi, Palaestra[3] vel Selenium retinent, tamen suas in fabula partes tanquam servae, non velut ingenuae agunt. Praesertim, quod ad nostrum propositum interest, vivunt extra domum neque quidquam, quod simile sit vitae domesticae, exprimunt.

Imo, adeo non placet nostro poetae ingenuas virgines in theatrum proferre (quippe magis esse sibi in tuto arbitratur cum solis meretricibus agenti), ut nonnunquam eas, quamvis a spectatore desiderentur, post siparium teneat et nullas vel mutas tantummodo partes eis tribuat. Licet Casina det suum comoediae nomen ideoque, ut videtur, primum in locum promovenda sit, nusquam fabulae tamen apparet, sed domi magna diligentia servatur; et cum prope est ut a parentibus agnoscatur nubatque Euthynico, Stalinonis filio, hanc partem fabulae ubi ei esset necesse se coram offerre et loqui, Plautus subito praecidit, parum quidem artis studiosus, sed « ne ex longa longiorem faciat fabulam[4] ». Tanto magis debemus praesumere, si puella non titulo nominatur, facilius etiam Plautum nullam huius curam habiturum esse et procul ab oculis omnium relicturum. Auditur in *Aulularia* Phaedria, Euclionis filia; clamat dum parturit : non conspicitur

[1] *Aulularia, Casina, Cistellaria, Curculio, Epidicus, Poenulus, Persa, Rudens, Trinummus.* — [2] *Casina, Cistellaria, Curculio, Epidicus, Poenulus, Rudens.* — [3] Cf. *canticum Palaestrae*, I, 3. — [4] *Casina*, V, 4, 27.

ipsa. In *Trinummo* de duabus virginibus patres iuvenesque haud semel loquuntur, et fabula duobus matrimoniis concluditur; neutra tamen puellarum « ne digitum transvorsum quidem aut unguem latum » ianuam domus superat : Plautus noluit. Eadem verba, quibus choragus *Cistellariam* absolvit, hoc loco usurpari, quoque possint :

> Ne exspectetis, spectatores, dum illae huc ad vos exeant;
> Nemo exibit; omnes intus conficient negotium [1].

Non miraberis ergo, cum poeta nihil nisi taedium se spectatoribus allaturum has nuptias describendo arbitretur, si iuvenes quoque mediocrem in matrimonio faciendo diligentiam adhibent. Unum student : per voluptates ac libidines degere vitam, vel, ut dicebatur, graecari. Sed si coguntur a patribus uxorem ducere, illud habentes pro poena et magnam rati esse sibi miseriam [2], quamlibet mulierem aequissimo animo accipiunt : cunctae eiusdem esse pretii facile illis videntur. Charmidi filium Lesbonicum monenti ut ducat Callielis filiam, Lesbonicus, licet nunquam viderit et primum de illa audiat, haud cunctanter respondet :

> Ego ducam, pater,
> Et eam et *si quam aliam* iubebis... [3] :

mira quidem verba et quantuli faciat matrimonium optime testantia. Nihil eius refert qualem ducturus sit, cum pro peccatis unam aliquam debeat ducere. Quin, tanquam amore huius improvisae sponsae subito depereat, postulat ut omnes festinent et quam citissime nuptiae fiant :

> Numquid causae est, quin uxorem cras domum ducam [4] ?...

Et cum nihil obstet, puellam heri plane ignotam cras in matrimonium accipiet.

Quae cum ita sint neque quisquam in fabula quid virginibus cordi sit, ne paululum quidem, attendat, neque iuvenes omnium ingenuarum incuriosi, neque patres de filiabus tanquam de parte aliqua supellectilis statuentes, quis non videt quantulam haec omnia suppeditent materiam unde interior vita familiae depinga-

[1] *Cistellaria*, sub fin., *Caterva*, 1-2. — [2] *Trinummus*, V, 2, 61. — [3] *Ibid.*, V, 2 59. — [4] *Ibid.*, V,2,64.

tur? Ubi mutua domesticorum inter se caritas? Ubi una vox a iuvene edita, quae suum sponsae amorem probet? Quid ergo necesse est ut puella, quae a poeta tantummodo velut machina quaedam adhibetur, in scaenam prodeat? Nihil ei est ibi negotii; manet post siparium, et merito. Unam virginem, Saturionis filiam, in Persa Plautus voluit artius argumento fabulae misceri; sed quam intenta cura omnia praecavit ut, quod in argumento anceps esset et spinosum, probaretur neque audacia ulli spectatorum displiceret[1]! Rem ridicule excogitatam satis habuit ostendere; non autem magis quam in ceteris fabulis studuit ut aliquid patefaceret domestici.

Uxores vero matronasque non tantum quantum puellas ingenuas praetermisit; imo satis frequenter in fabulas recepit. Sed pudicitiam earum non tenuissima etiam suspicione perstringit. De ceteris personis maximam, de his minimam sibi sumit licentiam. Non quod omnino eis pepercerit; non dubitat enim difficiles, querulas, asperas natura, morosas, tristi vultu, acerbo sermone effingere[2]. Metuuntur a maritis quos attente custodiunt; mariti rursus detestantur propter sempiternas clamitationes et unum optant, ut quam citissime eas videant emortuas[3]. Quin, ipsae de semet non aliter atque mariti iudicant et sapiens Eunomia suum proprium sexum criminatur[4]. « Odiosae, loquaces merito omnes habemur », inquit. De hac re non a communi civium sensu sententia Plauti differebat. Iam diximus Catonem, eadem fere aetate, in mulieres acriter invectum esse[5]; et postea Metellus Numidicus, gravissimus vir, in censura his verbis populum ad uxores ducendas adhortabatur: « Si sine uxore possemus, Quirites, esse, omnes *ea molestia* careremus: sed quoniam ita natura tradidit, ut nec *cum illis satis commode*, nec sine illis ullo modo vivi

[1] Haec virgo ingenua quidem, sed minime honesto est loco, quippe quae nata ex parasito, despectissimo hominum genere. Praeterea, cum pater filiae consilia communicat, velle se, peregrinum in modum eam exornando, astutiis servi Toxili auxiliari, reclamitat illa, ut castam decet (III, 1). Denique, ab initio fabulae nos monuit poeta puellam, quamvis in lubrico statu positam, se expeditam ex impedita facturam, salva pudicitia; ita ut de fama eius nullo momento solliciti simus. — [2] *Asinaria*, I, 1, 47; *Miles*, III, 1, 87; *Casina*, II, 5, 12; *Mercator*, IV, 4, 21. — [3] *Trinummus*, I, 2, 13, 15, 17-18. — [4] *Aulularia*, II, 1, 4-5. — [5] Livius, XXXIV, 2-5; cf. supra, p. 59-66 passim, praesertimque p. 64-65.

possit, saluti perpetuae potius quam brevi voluptati consulendum[1] ». Pestem necessariam quidem, sed pestem tamen eas esse satis aperte declarabat. Non displicebat itaque Romanis hanc feminarum importunitatem interdum derideri ; nam parvam quasi ultionem pro molestiis in matrimonio toleratis ab illis expetebant.

Sed ut hanc licentiam Plauto libenter condonabant, ita hoc tempore nondum aequo animo tulissent, si poeta matronas moribus prolapsas et fide maritis debita decedentes expressisset. Nullam igitur impudicam in fabulas Plautus admisit. Omnes matronae, etiam odiosissimae viris, sive Dorippa sive Cleostrata[2], hoc tamen dignum laude retinent, quod decoris rigidissimas se praebent custodes. Curant ut vestitu a meretricibus distinguantur, crines longos et comptos, vittas, talarem tunicam habeant : quae quidem sunt velut matronarum insignia[3]. Adeo verentur ne non agendi ratione satis ab istis famosis feminis discrepent ut asperiores etiam, quam fortasse ipsarum fert natura, se esse profiteantur. Non sunt iucundae blandaeque, nec volunt esse ullo modo, et gloriantur quod non sunt : id eis institutum est, ea vitae lex :

Non matronarum officium' st, sed meretricium,
Viris alienis, mi vir, sublandirier[4].

Talibus institutis, qui adulteria sese in matrimonia poterant insinuare? Itaque a fabulis Plautinis abesse adulteria merito dixeris. Miles gloriosus quidem « magnus moechus mulierum[5] » dicitur, et credit se, utpote formosiorem Paride, ab ingenua femina amari ; nos autem spectatores scimus illum stulte errare, insidias ab astuto Palestrione paratas esse, in quas insulsus iste, tumidus iactantia, praecipiti impetu se immittit, feminam denique minime ingenuam esse sed meretricem quamdam matronarum modo ornatam. Praeterea, alter ille « Achilles, urbicapus, occisor regum[6] », ut timet atque tremit cum iubetur domum amatae introire!

Egon' ad illam eam, quae nupta sit ! vir eius est metuendus[7].

Postquam autem, cunctatione tandem remota, introivit et ipse sese impedivit in plagas, ut vapulat et quantas dat poenas ! Tunc

[1] Gellius, I, 6. — [2] *Mercator*, *Casina*, *Asinaria*. — [3] *Miles*, III, 1, 196 sq. — [4] *Casina*, III, 3, 23. — [5] *Miles*, III, 1, 180. — [6] *Ibid.*, IV, 2, 63-64. — [7] *Ibid.*, IV, 6, 61.

humili animo rogat, obsecrat ut sibi parcatur: se censuisse viduam esse, non alienam uxorem. Nec indignatur supplicium a se sumi : id aeque factum arbitratur; « bene agitur pro noxia[1]. » Et ipse supremis versibus quid fabula admoneat spectatores docet :

> Si sic aliis moechis fiat, minus hic moechorum siet;
> Magis metuant, minus has res studeant[2].

Nihil ergo ibi quo rigidi Catones offendi possint : castitas familiae nullo modo temeratur.

At mihi forsan obicies Alcumenam stupri noxiam. Ita; peccavit illa. Num autem promeretur ut id ei vitio vertamus? Decepta est per fraudem. Iovis culpa est qui sese mutavit in formam coniugis. Quomodo Alcumena dolis et potentia omnipotentis dei potuisset non vinci? Fecit, sed coacta est facere. Unde autem mens abfuit, culpa abest. Sic, quamvis a marito accusata, manet, ipso Iove teste, insons et pura. Nemo, ut dicit Mercurius,

> id probro
> Profecto ducet Alcumenae[3].

Itaque « summus imperator divum atque hominum Jupiter[4] » vult Amphitruonem cum uxore pristinam in gratiam redire[5]; semper enim digna est marito. Hic quoque, velut supra vidimus in *Persa*, Plautus multa perite fecit, multa excusavit ut audacius argumentum non gravate a civibus acciperetur. — Quin, non modo Alcumena non noxia apparet, sed, ut verum dicam, nulla dignior est femina quam imitandam omnes matronae romanae sibi proponant. Omnibus enim virtutibus praedita est, « pudicitia, pudore, sedato cupidine, Deum metu, parentum amore, cognatorum concordia[6] ». Itaque, cum ab Amphitruone dedecoris arguitur, freta virtute, quam graviter et pudice sese defendit ! Non dubitat deos facere testes innocentiae suae, et per Iovem, supremum regem, Iunonemque *matremfamilias*, quam vereri et metuere par est maxime, iurat se nihil in se admisisse[7]. Audacter iurat ; nam

> quae non deliquit, decet
> Audacem esse, confidenter pro se et proterve loqui[8].

[1] *Miles*, V, 1, 22-23. — [2] *Ibid.*, V, 1, 43-44. — [3] *Amphitruo*, I, 2, 30-31. — [4] *Ibid.*, V, 3, 3, et *Rudens*, *Prolog.*, 19. — [5] *Amphitruo*, V, 2, 11-12. — [6] *Ibid.*, II, 2, 211-212. — [7] *Ibid.*, II, 2, 201-202. — [8] *Ibid.*, II, 2, 206-207.

Sed, violata mariti suspicione irataque, nequit diutius durare in aedibus. Pudica, « ab impudicis dictis avorti vult, » et, iusso marito valere, innocentia comite, abibit[1]. Etiamsi nesciremus Alcumenam esse insontem, id facile ex eius sermone suspicaremur ; nunquam enim putare possemus eam quidquam deliquisse quae tantam in crimine repellendo maiestatem castitatemque retineat. Quanquam igitur matronarum pudicitia in hac fabula per lubrica videtur iactata fuisse, integra tamen ex periculo oritur et inexpugnabilis apparet.

Noli autem arbitrari poetam semper mirae severitatis esse et iuvenibus interdicere ab omnibus amoribus. Ut adulteros gravissimas poenas daturos haud semel pollicetur, ita, si quis quam meretricem amat, lenior factus, non modo condonat sed etiam fovet hortaturque. Nemo, inquit, prohibeat

> adulescentem filium
> Quin amet et scortum ducat[2].

et alio loco fusius etiam atque explanatius :

> Nemo hinc prohibet nec vetat
> Quin, quod palam'st venale, si argentum'st, emas.
> Nemo ire quemquam publica prohibet via,
> Dum ne per fundum saeptum facias semitam ;
> Dum ted abstineas nupta, vidua, virgine,
> ... ama quidlubet[3].

Miramur hodie talia posse aperte praecipi, et quiquid verecundiae nobis inest, his auditis, laeditur. Nulla autem, ut temporibus illis, loquendi audacia Plautus utebatur. Non enim ultra id, quod gravissimi etiam viri opinabantur dicebantque, progrediebatur ; nec alia erat, si Horatio credimus, « sententia dia Catonis[4] ». Dummodo a feminis civium abstineretur, cives cetera permittebant. Nil ergo nisi permissum Plautus tentavit, et matronis sanctitatique familiae diligenter pepercit.

Verum, ut dixi, non iuvat poetam mores domesticos attingere. Cuius rei nihil melius documentum affert quam quod in *Sticho* animadvertimus. In hac enim fabula cum Plauto argumentum ultro sese offerret quo posset ille ad privatos penates accedere et inte-

[1] *Amphitruo*, III, 2, 46 sq. — [2] *Mercator*, V, 4, 61-62. — [3] *Curculio*, I, 1, 33 sq. — [4] Horatius, *Sat.*, I, 2, 32.

riorem vitam familiae depingere, occasionem nactus, eam praetermisit et aliud atque quod ab omnibus exspectabatur explicare maluit. Attamen quid aptius erat ad delectationem spectatoris? Iam tres sunt anni ex quo Panaegyris et Pamphila a maritis in externas regiones ad rem faciendam profectis seiunctae vivunt. Earum pater, Antipho, iratus generis suis, vult lege fretus eas ab his abducere, ut possint ad alteras nuptias migrare. Sed illae, maritis fidem servantes, apud patrem causam coniugum orant. Pamphila praesertim allata ab Antiphone verba mire ac strenue refellit. Quae iucunda pictura exprimi poterat! Ut castus amor et lepidissima quaeque uxorum virtus debuit illustrari! Res erat in ancipiti, mulieribus in eum locum adductis ut aut adversus patris imperia essent contumaces aut maritos proderent, et utrumque tamen malorum refugientibus. Initio quidem Plautus rectam ingreditur viam, et duae sorores primo inter se, post cum patre, de rebus domesticis, de maritis absentibus colloquuntur[1]. Quanquam melius poeta fecisset, si graves sententiae et acerbiora adversus matrimonium mulieresque dicta minus colloquium implevissent, magis autem Pamphila a patre vexata apparuisset. Sed brevi fabula admodum de via deflectit.

Redeuntibus enim maritis Epignomo Pamphilippoque, cum nihil magis decuisset quam si poeta uxores, ut par est, effusas laetitia maritosque amplexas expressisset, contra omnium opinionem non modo in his teneris affectibus pingendis brevior est, sed ne minimum quidem punctum temporis impendit. Quidquid animos movere potuisset, removet ex industria; non enim in lacrimas vel miserationem, sed in risum solvere spectatores studet. Itaque, quantum dulcibus inter uxores maritosque colloquiis abstinuit, tantum facetiis et scurrilibus iocis abundat. Sic puer Dinacium inducitur, Epignomum rediisse nuntiaturus; sed quamvis satis magni, ut videtur, momenti nuntius sit, tamen minime festinat; lubet gloriose proloqui, gravitatem nuntii celebrare; praedicat se facta Talthybii superaturum, contemnit omnes nuntios[2]. Ipse suae morae conscius est, sed nihilominus in scaena moratur, et plus triginta versus in laedenda versimilitudine consumit. Pariter Epignomus, cum conveniret illum cupiditate ardere uxoris videndae, cum servo et parasito oblectatur[3]. Tandem

[1] *Stichus*, I, 1 et 2. — [2] *Ibid.*, II, 1 et 2. — [3] *Ibid.*, III, 1 et 2.

Plautus, quasi illum taedeat tam diu honestiorem personam loquentem ostendisse, sub finem fabulae omnes eiusmodi omnino a scena domum relegat, et liberrimum locum iis, quos diligit potissimum, concedit. Tunc reliquae fabulae immemor et parum curiosus utrum ea quae adiciat cum prioribus apte cohaereant an perperam coniungantur, plane novam orditur comoediam, et, omissis uxoribus, patre, maritis, per totum actum circa epulas comissationesque servorum unice occupatur[1]. Stichus apud conservum Sagarinum cum amica Stephanio opipare convivium instruit; et, dum isti verberones sine ulla intermissione potant saltantque donec aulaea tollantur, comoedia, gravem et serium in modum inchoata, in rusticam ridiculamque fabulam, rusticis tantum spectatoribus aptam, desinit.

In *Casina*, in *Trinummo* eadem animadvertimus. Personae, secundiis tertiisve dignae partibus, in primum locum promoventur et honestis civibus officiunt. Dein, quoties servilia iurgia deficiunt neque iam fabula materiam praebet unde illepida convicia sumantur, non longius poeta procedit, sed, libidini magis quam arti et rectae argumenti rationi consulens, omnia praecidit ne taedium populo afferat. Sticho praesertim principium et quasi semen inerat ex quo Plautus intimos privatorum mores affectusque domesticos poterat describere; noluit tamen ille ad bonam frugem semen perducere, sed pictura primis solum lineis adumbrata contentus est. Qui hanc pulchram uxorum erga coniuges fidem debuit pingere, ad solitas personas, parasitos et servos, et solita argumenta, plebe longos cachinnos tollente, relabi maluit.

§ 3

De Caecilio paucissima dicenda sunt, adeo truncae eius fabulae. Non videtur tamen, — quantum ex titulis et inanibus saepe fragmentis quiddam certi coicere licet, — illum multo magis quam Plautus antea curavisset ad hanc domesticam vitam attendisse. Si de matronis fit mentio, morosae dicuntur intolerabilesque, Plautinarum more, et tantum placere incipiunt maritis, ... « postquam sunt mortuae[2] ». Quod ad iuvenes spectat, fre-

[1] *Stichus*, V. — [2] Caecilius, *Plocium*, III, (Ribbeck).

quens est eorum in meretrices amor, rarus vel nullus in ingenuas.

Primum igitur in Terentianis fabulis nos quidem recentiores sine ullo dubio familiam vere in scaena expositam videmus. Nunc virginales amores et argumenta fabularum in privato lare inclusa reperire est. Apud Plautum personae in viis, in foro, in compitis degentes inducuntur, nec quid agant domi, quomodo in cotidiano vitae usu aliae aliis utantur, facile est suspicari; nunc domi, apud focos, in convictu familiari cotidianaque consuetudine interdum deprehenduntur; cuiusque affectus, patrum necessitudines cum filiis, uxorum cum maritis, iuvenum cum puellis, liberorum cum parentibus mira veritate et subtilitate exprimi incipiunt. Ad hanc comoediae rationem Terentius certe quadam natura ingenii impellebatur. Nullus enim poeta artem scrutandi animos et varios motus tenuissime dispiciendi magis percalluit; nulla ipse alia magis eminuit virtute. Studet ut quam proxime veritati accedat et a vita ipsa ducat suas imagines, nedum mente evagetur, velut Plautus, et ficta excogitet. Inde sponte sua ad intimos ingeniorum mores et casus domesticos pingendos proclivior erat.

Non quod Terentiana argumenta a Plautinis prorsus iam abhorreant, cum utraque a Nova Graecorum Comoedia sumantur. In *Eunucho* enim, velut in *Rudente* vel *Cistellaria*, agitur de puella a piratis abrepta. Aliquando iuvenes, aeque ac Plautini, sibi dari uxorem graviter ferunt [1]. Attamen, si ducendae mulieris parum sunt studiosi, non nisi ante nuptias hoc fastidium declarant; mariti autem facti, nunquam in uxores et matrimonium invehuntur vel maligna tela intorquent. Adde quod in puellis venustis saepius quam in meretricibus protervis amorem suum collocant, eoque multum a Mnesilochis et Argyrippis aliisque istius modi nebulonibus differunt. — Sunt quoque virgines [2] quae, aliquantisper humili esse loco existimatae, sub finem agnoscantur a parentibus et liberae reperiantur. Pleraeque tamen impudenti lenoni minime serviunt, apud quem semper verearis ne, licet purae, hac impura contagione polluantur; sed, orbae factae, in tutelam confugerunt cuiusdam anus, quae his in locum matris successit easque diligenti custodia tuetur [3]. Ad inopiam delapsae sunt, non ad servi-

[1] *Andria* (edid. iterum Fleckeisen, Biblioth. Teubner., 1898), I, 2, 20. — [2] Glycerium *Andriae*, ut exemplo utar. — [3] *Hauton Timor.*, II, 3, 28-29; *Phormio*, I, 2, 98-99.

tutem, et pauperes quidem, sed bonae sunt, bonis prognatae[1]. Quarum origo genusque personis fabulae non occultum manet. Certior fit Antipho puellam quam deperit civem esse, nec posse nisi pro uxore, lege et matrimonio, possideri : sic monuit vetula ancilla[2]. Nihil ergo commune cum scortis habent. Itaque quid suavius lepidiusque, ut exemplo utar, quam illa Antiphila in *Hauton Timorumeno*, « bene ac pudice educta, ignara rei meretriciae[3] » ? Quam poetice descripta ! Ex eius imagine venustas olet verecundiaque. Ei de improviso occurritur ; in cotidianae vitae consuetudine eam deprehendunt : qua re nihil melius declarat quod sit cuiusque ingenium. Illam offendunt

> Texentem telam studiose ipsam...
> Mediocriter vestitam ; veste lugubri ; ...
> Sine auro ; tum ornatam, ita uti quae ornantur sibi ;
> Nulla arte malas expolitam muliebri ;
> Capillus passus prolixe et circum caput
> Reiectus neglegenter[4]...

Iuxta eam anus subtemen nebat ; una ancillula erat quae texebat pariter. Nonne haec pictura domestici laboris multum habet delectationis ? Ut luce dulci teneraque et leviter obumbrata nitet ! Sed ubi apud Plautum hunc domesticarum rerum leporem aeque invenias ? Totum illud proprium est Terentii.

Notemus quoque quam frequenter inter personas de matrimoniis conficiendis agitetur. Haec quaestio omnibus fit maximi ponderis. Quid vult enim significare poeta, cum in eodem *Hauton Timorumeno* lepidam Antiphilam, amantem vitae domesticae, et meretricem Bacchidem de arte sua tantum non dolentem inter se opponit, nisi quantum vetito amori legitimae nuptiae praestent ? Clinia et Antiphila promittunt se coniuges futuros esse unde exempla ceteris petenda sint. Sed nullae fabulae magis quam *Andria Hecyra*que illud quod quaerimus ostendunt.

Totius enim *Andriae* quasi stirps et cardo in hoc vertitur, utri ingenua virgo, Philumena nomine, nuptura sit, Pamphilone cui desponsa est, sed in alium amorem demisso, an Charino, qui virginem deperit sed a patre repudiatur. Spes Charinum modo invadit modo deserit, prout destinatum matrimonium aut propius versatur

[1] *Phormio*, I, 2, 115. — [2] *Ibid.*, I, 2, 114 sq. — [3] *Hauton Timor.*, II, 1, 14. — [4] *Ibid.*, II, 3, 44 sq.

ab effectu aut longius abest. Non iam patres temere et inconsulte agunt; non iam parum sollicitos se praebent, quam fortunam casus postea liberis laturus sit. Curant contra quibus condicionibus matrimonium felix faustumque esse possit. Senex Simo studet coniugium liberale filio praestare ut eum ex Glycerii meretricis manibus eripiat et salvum faciat[1]. Chremes aútem, qui filiam despondit donec credidit iuvenem bonis moribus esse, nunc cum compertum habeat eum in alio occupatum esse amore, recusat filio amici medicari. Nam

... istuc periclum in filia fieri, grave'st[2].

Censet modum esse benignitatis neque sibi licere malo detrimentoque filiae morem amico gerere; quae sit adulescentis indoles, plus mali ex eo matrimonio quam commodi utrique coniugi eventurum :

Satis, iam, satis, Simo, (inquit), spectata erga te amicitia' st mea :
Satis pericli incepi adire : orandi iam finem face.
Dum studeo obsequi tibi, paene illusi vitam filiae[3].

Ex his ergo colloquiis sequitur nihil a patribus pluris quam commoda et felicitatem liberorum aestimari, et iam res domesticae in disceptationem cadunt. Sed ipsa puella de qua tota controversia est, Philumena, nondum in scaena conspicitur.

In *Hecyra* autem socrus apparet et loquitur et agit et inter primarum partium personas a poeta promovetur. Res quoque domesticae fusius quam in *Andria* tractantur explicanturque. Hic, quia socrus quaedam inique in suspicionem venit, turbatae sunt duae familiae, dissident coniuges inter se amantes, dolor et lacrimae et curae domum intraverunt. Omnia haec sane secreta sunt et, foris, aliis civibus ignota; sed intus, in penetralibus, animi lacerantur et dolent. Nullum argumentum intra privatos lares totum artius continetur. Itaque haud immerito dicas ex *Hecyra*, velut ex principio et fonte, oriri quidquid postea in Togatis Afranii auctum amplificatumque reperiemus; inde, quod ad nostrum opus spectat, haec praecipue fabula maximi interest. Titulus ipse, *Hecyra*, aliquid novi prodit; primum enim, in Plautinis Terentianisve comoediis, a nonnullo propinquitatis vinculo peti-

[1] *Andria*, III, 3, 28 sq. — [2] *Ibid.*, III, 3, 34. — [3] *Ibid.*, V, 1, 1 sq.

tur. Iam quidem in *Menaechmis*, in *Sticho*, in *Andria*, socer in scaenam prodierat, sed transeundo ; nondum autem socrus. Et ex illa socru omne pendet argumentum. Nam postquam maritus, coactus iter peregre suscipere, reliquit domi cum matre uxorem, haec paulatim incipit odisse Sostratam (id socrus nomen), atque, causa nulla allata, fugit ex eius conspectu, eam videre non vult; denique, cum non iam queat eam pati, ad suam matrem recedit, et, quamvis haud semel arcessita, redire ad socrum recusat [1]. Tunc Sostrata, ut fit, accusatur quod omnia quieta permiscuerit et, odiosa propter suos mores facta, nurum domo extruserit. Nunquam reipsa eam habuit aliter ac si esset nata [2]; sed cum omnes socrus credantur uno animo odisse nurus, haec multis verisimilibus premitur et iniquas dat poenas. Ex ea ergo suspicione inimicitiae, obiurgationes, iurgia, parum firmae nuptiae, tota distracta domus, discordiae inter socerum et socrum [3], maritum et uxorem [4], filium et patrem [5]. Laches, pater Pamphili, vehementer iratus Sostratae, cuius culpa existimat omnia evenisse, miseram mulierem in lacrimas effusam insectatur :

> Cum puella anum suscepisse inimicitias non pudet [6]!

et cum narrat Sostrata nurum, ne rediret, valetudinem excusasse, respondet :

> Tuos esse ego illi mores morbum magis quam ullam aliam
> [rem arbitror [7].

Pamphilus, ex itinere reversus, litium certior fit et discruciatur animo ; quid sperare debeat nescit, nam aut « matrem ex ea re aut uxorem in culpa » inveniet [8]; utramcumque vero nocentem invenerit, pariter dolebit. Tunc Sostrata, optima socrus, immerito accusata, usque ad extremum tempus sui plane immemor, non recusat quin ipsa sit infelix ut ceteri sint felices, atque ex urbe rus habitatum migrare decrevit ne sua praesentia obstaret neque causa ulla restaret discordiae [9]. Laches quoque, compressa ira, uxori assentitur, et, quia respicit ad amborum iam provectam senectutem, cum Sostrata abibit.

> Odiosa haec est aetas adulescentulis,

[1] *Hecyra*, I, 2, 102 sq. — [2] *Ibid.*, II, 3, 5-6. — [3] *Ibid.*, II, 1. — [4] *Ibid.*, III, 3 et 5. — [5] *Ibid.*, III, 5 et IV, 4. — [6] *Ibid.*, II, 1, 34. — [7] *Ibid.*, II, 1, 42 — [8] *Ibid.*, III, 1, 19. — [9] *Ibid.*, IV, 2, 10-11.

tristis ait,

> E medio aequum excedere est : postremo nos iam fabula
> Sumus, Pamphile : « Senex atque Anus[1]. »

Et senex atque anus hoc simplici modo, quo animi spectantium suaviter commoventur, aliorum commodis sese suo detrimento impendunt. Nihil itaque in ea fabula mirabiliter quidem excogitatum, nihil valde comicum aut vehementer expressum; ubique sedati motus, moderati affectus, simplex oratio; sed nodus perite iunctus, omnia leni et facili cursu fluentia, naturalis nitor, non quaesitus, et ideo, usque in hoc temperato genere, multum iucunditatis leporisque.

Aliter quidem senserant Romani, qui parum benigne hanc fabulam exceperunt. Non meum est nunc, neque huic operi conveniens, per singula enarrare quas vices experta sit comoedia et in eo diu morari. Primum acta plane concidit, neque « spectari neque cognosci » potuit[2]; nam populus « studio stupidus » in funambulo et pugilibus animum occupaverat[3]. Data denuo, non ultra primum actum duravit; nam subito rumor venit

> Datum iri gladiatores; populus convolat;
> Tumultuantur, clamant, pugnant de loco[4].

Actor interea suum non potuit tutari locum. Qui inter spectaculum scaenicum et munera gladiatoria Romani in dubio animum habuissent? Tantummodo cum tertium relata est, commendata a vetere actore, Ambivio Turpione, usque ad finem incolumis stetit in scaena. Terentius ceterum ipse in duobus prologis abunde questus est quae calamitas comoediam suam oppressisset. Sed, considerato qua pertinacia poeta, nunquam fracto animo, fabulam semper repulsam semper in theatrum reposuerit, hunc speratum fugientemque successum captans, nescio an in hanc adduci debeamus opinionem omnium comoediarum nullam ei antiquiorem fuisse; neque hoc mirabile videbitur, si meminerimus *Heycram* propter subtilitatem affectuum et elegantiam orationis praecipue pretium habere: quas quidem potissimum virtutes Terentius semper est secutus. Fieri potest ut fabula, cum in scaenis

[1] *Hecyra*, IV, 3, 14-15. — [2] *Ibid.*, *Prolog.*, I, 3. — [3] *Prolog.*, I,4-5. — [4] *Prolog.*, II, 32-33.

acta est, quoniam omnes varietates et commutationes animi tenuissime exprimit, parum motoria visa sit et paulo fuerit frigidior. Hodie contra huius lectione vehementer detinemur; quidquid exquisitae venustatis inest, probare otiose possumus et proxime ad id, quod quaerimus nunc in theatro et postulamus, accedere videtur: nostro recentiorum iudicio, laus in illa est quod recentissima veterum comoediarum dici potest.

Sed ego, quamvis permulta sint quibus fabula emineat, illud solum nunc in hoc opere memoria custodire volo, quod *Hecyra* nobis ostendit quam familia quaedam penitus casu domestico possit commoveri. Recordemur hoc usu legibusque ad hunc diem vetitum et, ut ita dicam, intentatum fuisse. Terentius ergo, sanctitatem illam familiae non iam reverendo et inde argumenta comoediarum sumendo, non parva audebat. Primus fuit auctor exempli quod postea alii poetae, inter quos Togatarum auctores, secuturi erant. Adde quod, provecta audacia, alio loco significat uxorum pudicitiam non semper obstinatam esse sed expugnari posse, et adulterium iam capiti maritorum imminens depingit. Fac (ita suadet servus ero suo)

> Ut te arbitretur sibi paratum moechum, si illam duxerit[1].

Quae quidem omnia viam monstrabant; quam ingressus, Afranius longius processurus erat. Sed si ita est ut neque rerum natura neque litterae ipsae unquam faciant saltus, res usque a Terentio et *Hecyra* nobis erant repetendae, ut inveniremus unde haec virtus, quam diximus maxime propriam ac genuinam fabularum togatarum, esset profecta.

§ 4.

Veniamus nunc ad Togatas ipsas eamque propriam virtutem propius inspiciamus. Hoc loco quidem velut prioribus, satis deplorare nequeam quod nihil nisi trunca et mutila membra fabularum servata habeamus. Licet tamen per haec lineamenta qualis fuerit tota integraque pictura, animo adiuvante, nonnunquam assequi, et vera de summa sentire. Apparebit res non

[1] *Andria*, II, 1, 16.

aliter esse atque dicebamus, nec ullum comoediarum genus nobis ad vitam privatam intimamque Romanorum magis aditum facere.

Id quod apud ipsum Terentium rarum et quasi unicum erat, apud Afranium fit consuetudo et lex. Nunc comoedia non iam semel, velut in *Hecyra*, titulum ab aliqua sanguinis coniunctione mutuatur ; sed multae sunt huiusmodi inscriptiones : *Mariti*, *Sorores*, *Fratriae*, *Materterae*, *Consobrini*, *Gemina*, *Socrus*, *Nurus*, *Privignus* et *Privigna*, *Vopiscus* apud Titinium vel Attam vel Afranium leguntur ; ita ut omnes fere personae ex quibus constat familia suas partes in fabulis agant. Alii quoque tituli ad res domesticas saepe pertinent (*Divortium*, *Emancipatus*, *Repudiatus*, *Suspecta*). Matrimonium vero non solum magnum in plerisque fabulis locum, sed praecipuum etiam et, ut ita dicam, totum obtinet. Non eo Plautus utebatur nisi sub finem fabulae, ut exitum argumenti explicaret : ratio facilis certe et opportuna potius quam ad peritam artem accommodata, vere novus deus ex machina ! In Terentianis comoediis non ita quidem : iam monstravimus. Sed quemadmodum patres Terentiani filiarum commodis diligenter consulebant, sic filiae ipsae haud multum de studiis propriis ac voluntatibus suis consulebantur ; plerumque etiam, aut vix eas ostendebat comoedia, aut non ultra mentionem procedebat. Nunc, progredientibus temporibus et minus atque minus intenta morum disciplina, puellae intellegunt se posse plura audere voluntque arbitrium sui servare. A Plauto, apud quem in *Trinummo* iuvenis virginem quamcumque ducit, — et aliam, si vult pater, — usque ad Afranium ubi puellae de gravibus rebus disputant, quid sibi debeatur cognoscunt et libere pro se confidenterque loquuntur [1], decursum spatium emetiri licet [2].

Matrimonium ergo res fit gravissima : omnes in illo occupantur. Cum autem unusquisque studeat rem ex sententia gerere et, quot sint personae, tot varii sensus afferantur, nihil magis

[1] Titinius, *Quintus*, V. — [2] In Togatis nonnullas etiam meretrices reperias, quarum una, Moschis nomine, oriunda Neapoli, nos docet quare contra condicionis morem veste longa ornata Romam venerit (*Exceptus* Afranii, III), et altera, quae vocatur Thais, suum fabulae nomen indidit. Nihil est tamen cur de hac re Togatas Palliatis esse similes contendas. Has enim meretrices si excerpseris, quot virgines, quot ingenuae puellae occurrunt ! Ut in Palliatis, sic in Togatis circa iuvenum amores omne argumentum versatur ; sed idem interest quod inter scortorum virginumque amores.

arduum est et minus omnibus satisfacit. Inde certamina domi, animi dissentientes, contraria consilia, liberi cum parentibus certantes, petitores inter se contendentes; quae quidem omnia materiam comoediae praebent. Quidam vult puellam rustico nescio cui pistori, vicino suo perpauperi, matrimonio iungere. « Cur non scriblitario ? » respondet alter qui virginem defendit[1], atque, ut nuptiae odiosae differantur, commonet nihil per eos dies qui Kalendas sequuntur fieri posse :

Septembris heri Kalendae, hodie ater est dies[2],

id est nefastus. Alias, puella ipsa amores suos tuetur et matri in alium petitorem procliviori adversatur :

Quid istuc est? aut quid istic sibi vult sermo? mater, delica[3].

Nemini nisi sibi soli in semet ipsam ius esse et arbitratur et aperte declarat. Cuiusmodi indoles quibusdam Afranianis adolescentibus non displicet. Sunt enim qui, dum uxorem quaerunt, velint, ut res domesticae melius eant, eam constantis animi eligi, haud mollem, paratam ad agendum, nec semper mariti miratricem.

Optandum uxorem, quae non vereatur viri[4].

Plerique tamen aliter sentiunt et facilem, mitem, morigeram mulierem anteponunt. Hic, bene moratus profecto iuvenis, « uxorem quaerit firmamentum familiae[5] ». Ille non movetur divitiis; satis habet si pulchram ducit :

Formosa virgo est : dotis dimidium vocant
Isti qui dotis neglegunt uxorias[6].

Patres contra dotem magni aestimant nec quidquam tantum horrent quantum arculam aranearum plenam[7].

Ex his autem diversissimis sententiis, modo iuvene[8] modo puella propositas a patre vel matre nuptias detrectante, omnis turbatur domus. Vide quid in *Emancipato* Afranii accidat : in quo melius

[1] Afranius, *Fratriae*, II et III. — [2] Afranius, *Fratriae*, IV. — [3] Titinius, *Quintus*, V. — [4] Afranius, *Emancipatus*, XXI. — [5] Id., *Privignus*, II. — [6] Id., *Fratriae*, I. — [7] Id., *Ex incert. fab.*, VI. — [8] Titinius, *Setina*, I : « Ipsus quidem hercle ducere [eam] sane nevult. »

et explanatius quam in ceteris fragmentis perturbatio illa animorum detegitur. Hic enim, (quantum per reliquias licet discernere), non solum discordia sed lis etiam inter patrem filiumque emancipatum exorta videtur esse de puella quam filius invitus ducere jubetur.

> Viden' ut facunde contra causaris patrem [1],

exclamat pater ; sed iuvenis non potest, quamvis velit, in eius sententiam ire :

> Principium hoc oro, in animo ut sic statuas tuo,
> [Me] officiis cogi ut abs te seorsus sentiam
> De uxoria re [2].

Pater irascitur :

> Quam lente tractat me atque illudit [3] !

Distentus est eius animus negotiis [4], curis occupatus. « Sollicito corde, corpus non potitur nunc quie [5]. » Tunc mater, ut fit saepe, adulescentem contra patrem adiuvat ; deos omnes precatur « ut filium fortunassint [6] », et dolet quod, mitiore animo nata, a marito metui eumque a proposito deterrere nesciat :

> O quam beatae scaenicae mihi videntur mulieres,
> Quae iurgio terrent viros desubito... [7] »

Si eiusmodi indole esset praedita, quam libenter maritum cogeret parere et ipsius voluntatibus obsequi ! Ad illud dissensionis, cum de matrimonio disputatur, omnes descendunt.

Si tandem iurgia quiescunt et matrimonium statutum est, tum nuptiae fiunt et locum habent in fabula, nedum a poeta malitiose praetermittantur. Iuvenis rogat ut sint « repentino » paratae nuptiae [8] : omnes curent ut sponsa « cum primo luci hodie exornata sit et auspicent : cras est communis dies [9] » : ideo festinandum esse, ne quid obstet. In alia fabula : « Curre, inquit aliquis ; nuntia

> Venire et mecum (me) speratum adducere :
> Vide ut puellam curent, conforment probe [10]. »

[1] Afranius, *Emancipatus*, XVI. — [2] *Ibid.*, XII. — [3] *Ibid*, XIII. — [4] *Ibid.*, III. — [5] *Ibid.*, V. — [6] *Ibid.*, XI. — [7] *Ibid.*, XXII. — [8] *Ibid.*, X. — [9] Atta, *Lucubratio*. — [10] Afranius, *Fratriae*, XI.

In ipsa enim scaena, non intus, omne conficiendum est negotium : quod non in Palliatis eveniebat, ubi neque Casina Seleniumve apud Plautum, neque Philumena, sponsa Charini, apud Terentium domo ad spectatores exibant. Nunc puella ipsa inducitur et loquitur cum nutrice :

> Mea nutrix, surge, si vis; profer purpuram;
> Praeclavium contextumst[1].

Ita, cum ante nuptias, tum inter nubendum puellae in scaenam admittuntur.

Nec solae puellae, sed uxores quoque, ut par est, coram spectatoribus prodeunt, ita ut tota mulieris vita per varias aetates in Togatis ordine describatur et quasi uno aspectu ante nostros oculos conferri possit. Quid ergo domi agant matronae spectamus, quid sentiant perspicimus, eoque modo interiorem familiam, in quam nobis iam aditus erat, penitus nunc cognoscimus. — Qualem sese post nuptias mulier praebitura sit, scire volumus, nam plurimi interest. Plautus quidem id lectorem docere non multum curabat; contra, Togatarum auctores non omittunt. De dotatis uxoribus non loquor, quae iam in Palliatis increpabantur. Nescio tamen an plures etiam eas Togatae, quae paucitas est fragmentorum, receperint. Hunc enim Titinii versum supra citatum recordaris :

> ... dotibus deleniti ultro etiam uxoribus ancillantur[2].

Sed aliis locis non potes huiusmodi mulieres statim non agnoscere, cum sic ferociter acerbaque voce cum famulis loquuntur et iussa dant :

> Everrite aedis, abstergete araneas[3].
> ... spargite, munde facite in suo quique loco ut sita sint[4].

Audi quoque eam uxorem cum viro de dote reddenda, postquam foras ire iussa est, litigantem :

> Qui conere noctu clanculum
> Rus ire, dotem ne retromittas, vafer,
> Honeste ut latites et nos ludas diutius[5].

[1] Afran., *Fratriae*, XIII. — [2] Titinius, *Prilia*, III. — [3] Id., *Gemina*, I. — [4] Id., *Setina*, XVII. — [5] Afranius, *Divortium*, I.

Non autem semper res prospere succedit marito, atque haud semel ille minime victoris partes agit : testis infelix hic maritus qui mulierem valentiorem esse potentioremque confitetur et suam cum vicino queritur sortem :

> ... iam metuo, hercle, Caeso, ne nimis stulte fecerim,
> Qui ex tanta factione atque opibus puellam sum ausus adgredi[1].

Vicinus vel familiaris suadet marito ut resistat, vendat thensam atque hinnulos, eam pedibus grassari sinat, eius confringat superbiam[2] ; non est autem verisimile maritum consiliis amici paruisse.

Sed haec omittamus; uxores superbas, viros trementes et in querelas effusos, iam in Palliatis, ut dicebam, audiveramus. Alio quaerendum est quid novitatis de nuptis mulieribus Togatae habeant. Quidquid autem ad mores matronarum solutiores et fidem maritis parum servatam spectat, illud novum est. Nunquam enim Plautus, si meminerimus, unam matronam ostendit de bono honestoque in pravam viam inflectentem ; ne suspicatur quidem posse rem fieri; omnes forsan odiosissimas, omnes certe castissimas depingit. Nunquam apud eum haec verba legas quae in quadam Afranii fabula reperis :

> Nam proba et pùdica quod sum, consulo et parco mihi,
> Quoniam comparatum est, uno ut simus contentae viro[3].

His enim versibus inest audacia sentiendi et licentia loquendi, in quam matronae Plautinae vehementer invectae fuissent. Sed nunc non eadem est aetas, non idem mores. Castae etiamnum manent uxores, non quia ad suum officium, sed quia ad utilitatem pertinet. De sua pudicitia iam disputant, sermonem habent : quod prodit non satis esse firmam pudicitiam. Nam si quando minus illis expediat pudicas esse, merito verearis ne esse pudicae desinant. Imo, usque eo Togatae progrediuntur ut matronas a marito infidelitatis suspectas in scaenam exhibeant. Alcumena quidem Amphitruoni quoque in suspicionem veniebat; sed multo minorem quam credidisses, vel potius nullam diximus fuisse Plauti audaciam. Res enim inter vatum mendacia deorumque iocos a spectatoribus annumerabatur. Invita, inscia etiam ab Iove Alcumena decepta fuerat : quid ibi commune cum rebus proprie humanis et

[1] Titinius, *Setina*, III.— [2] Id., *Veliterna*, II. — [3] Afranius, *Epistula*, VIII.

vita civium cotidiana? Hanc autem familiarem vitae consuetudinem Togatae se pingere profitentur : inde necesse est ut quidquid depingant longe aliam vim et multo maius pondus habeat. Atqui Togata quaedam *Suspecta* inscribitur. Non quod, ut ex fragmentis videtur, merito in dubium veniat uxoris fides :

Perfalsum et abs te creditum numero nimis[1],

inquit marito obiurganti. At ille hac deprecatione non movetur et conviciis non desistit, quia mulier violaverit « suam maiestatem et nominis matronae sanctitudinem[2] ». Vehementer uxor pro sese orat : iniquam esse suspicionem quae ipsam huic adulescenti tradiderit[3] ; adulescentem non amatorem esse, olim defensorem futurum[4] ; se non tam stulte sapere ut per adulterium quies, otium perturbetur :

Noli ex stultitia multarum credere esse animum meum[5].

Ei accredere possum dicenti se puram esse; sed animadverte qua ratione innocentiam confirmare conetur. Haec quoque, velut illa de qua supra locuti sumus, pudica est, quia ipsius interest, non quia honesto pudori penitus insito obsequitur. Apud Terentium, quamvis et ipse in privatam civium vitam descenderit, nihil tale reperias. Magna ergo et plane nova audebat Afranius, dum fidem uxoriam, si non abolitam omnino, at labantem iam et ruinosam ostendebat.

Sed Togatarum argumenta a corruptela in castam domum sese insinuante non omnia petebantur. Plus varietatis hae fabulae habent quam ut unius generis finibus contineantur ; nam quidquid gaudiorum et saepius curarum inest vitae inter familiares, quidquid quietem mediis in laribus turbat, omnes denique intimas contentiones et discordias sui esse iuris existimant et in theatro exprimunt. Itaque non modo maritum et uxorem altercantes quia dissimili sunt natura, sed consobrinos quoque, fratrias[6] in domesticas res forsan se immiscentes, materteras post mortuam matrem parvulae natae educandae praepositas[7], parum unanimas sorores[8], filium modo emancipatum et patris auctoritati non iam

[1] Afranius, *Suspecta*, III. — [2] *Ibid.*, IX. — [3] *Ibid.*, I. — [4] *Ibid.*, VI. — [5] *Ibid.*, IV. — [6] *Consobrini*, *Fratriae* apud Afranium. — [7] Afranius, *Materterae*, I. — [8] *Sorores* apud Afran.

obnoxium, modo a patre ipso repudiatum [1], novercam privigno vel privignae infensam et ipsam odiosam omnibus [2], querulum socerum cum genero litigantem vel socrum cum nuru, patrem recusantem ne natum bracchiis tollat et filium suum agnoscat [3], ex discordiis divortia frequenter nascentia [4], nihil non admittunt in se Togatae; his omnibus argumentis constant. Quae quidem nonnunquam mentis acumine per fragmenta discernuntur potius quam in bono claroque lumine apparent. Sunt quaedam tamen fabulae quarum argumentum verisimillimum in modum restitui et compleri possit.

Neminem fugit, ut exemplis utar, quam frequentia post secundum bellum punicum, et frequentiora in dies, divortia facta sint. Nihil igitur ad comoediam togatam magis pertinebat ; nihil, si inter Togatas quamdam *Divortium* inscriptam invenimus, minus mirum est. Ex titulo fragmentisque quale sit summatim argumentum satis liquet. Socer causa fuit cur inter coniuges discordia nasceretur :

> O dignum facinus! adulescentis optumas
> Bene convenientes, (bene) concordes cum viris,
> Repente viduas factas spurcitia patris [5] !

Maritus dimittit uxorem et negat se dotem redditurum. Ira, ut par est, utrimque crescit, crescunt iurgia et convicia.

> Mulier, novercae nomen huc adde impium ;
> Spurca gingivast, gannit, hau dici potest [6]...

Sic discimus mulierem dimissam alteram esse mariti uxorem et, puero ex prioribus nuptiis nato, non aliter quam pro acerba noverca sese gerere : ad quod videtur pertinere versus in quo de exponendo libero dicitur [7].

Melius forsan quid *Privignus* contineat, licebit scire ; nec male, mea quidem sententia, Neukirchius coniecit, cum scripsit in ea fabula « rixam fuisse inter vitricum et privignum [8] ». Hominem, orbum uxore, ad alteras nuptias transiisse, verisimile est, quia de privigno quodam agitur. Sed vitricum et privignum parum

[1] Afranius, *Emancipatus*, *Repudiatus*. — [2] Titinius, *Privigna;* Afranius, *Divortium*, VI. — [3] Afranius, *Vopiscus*, II. — [4] Id., *Divortium*, *Vopiscus*. — [5] Id., *Divortium*, IV. — [6] *Ibid.*, VI. — [7] *Ibid.*, IX. — [8] Neukirch., *De fab. tog.*, p. 242.

coniuncte vixisse, id ex fragmentis constat. Nam huiusmodi versus (ab hoc aut ab illo editos fuisse, nihil refert) :

Nemo illa vivit carie curiosior,

vel

Vixisti tristis, durus, difficilis, tenax,

vel

Vivax vetus quam duriter nunc consulis tergo meo,

vel

...quod si fecissem paulo saepius,
Didicisset ferre et non esse intolerabilis.

vel denique

... interea verba iactare et labris
Inter se velitari, velificarier,

quid, quaeso, illi versus[1] significant nisi penitus turbari domus tranquillitatem ? Addit Neukirchius « oppositum fuisse privigno, male morato, filium adoptatum, bene moratum[2] ». Hic quoque ei assentimur. Adulescentem

Orbus virili sexu adoptavit sibi[3],

inquit aliquis. Is vero adoptatus filius quam honestis animis imbuatur, fragmenta docent :

Uxorem quaerit firmamentum familiae :
Scias abesse ab lustris ingenium procul[4].

« Ni tantum amarem talem tam merito patrem[5] », ... exclamat adulescens, et pater « grata illius obsequella[6] » laetatur. — Sed idem criticus multo lepidissimum locum praetermisit, nonnullis fabulae versibus indicatum. Quomodo novissimum hoc fragmentum cum ceteris cohaereat, paulo est obscurius ; sed quin hoc loco quaedam femina (quae sit femina, incertum) post iras discordiasque aversos animos componere et in mutuam gratiam reducere conetur, minime dubium est :

Occasionem nancta mulier involat
In collum, plorat, orat; occurrit nepos
Pausillus, neptis porro de lecto frigit[7].

[1] Afranius, *Privignus*, VI, VIII, VII, X, XVIII. — [2] *Op. cit.*, p. 242. — [3] *Privignus*, I. — [4] *Ibid.*, II. — [5] *Ibid.*, V. — [6] *Ibid.*, XII. — [7], *Ibid.*, IV.

Huic mulieri cum infantibus accurrenti, ut quamvis muti patrem defendant, et, quia avum sic amplectitur, pacem domi reconcilianti, multum miserationis venustatisque inesse mihi videtur.

Haud scio tamen an tres aliae fabulae perfectiorem etiam *Privigno* Togatarum speciem nobis praebeant. Utique illud habent commodi quod, ex ordine alia iuxta aliam dispositae, totam quasi vitam coniugum, varias matrimonii vices momentaque describunt: *Epistula*, qua narrantur iuvenum amores et nuptiae ; *Simulans*, quo discordia post nuptias orta, *Vopiscus*, quo divortium discordiam consecutum depingitur.

In *Epistula* adulescens puellae amore captus, cum mater matrimonio adversetur, aditum furtim quaerit ad amatam. Initio fabulae aliquis in via ante domum quamdam spatiatur, si forte possit ingredi. Inspicit, scrutatur ubique. Alter intervenit :

Quis tu es ventoso in loco
Soleatus, intempesta noctu, sub Iove
Aperto capite, silices cum findat gelus [1] ?

Ille ambulator, ne dubitemus, non alius est quam noster adulescens ipse. Mox efficit ut domum ingrediatur ; nam intus illum rursus reperimus, supparo, id est vestitu muliebri, indutum. Per hunc falsum habitum et muliebris vocis simulationem (succrotilla voce [2], si interrogatur, loquitur), ita puellam mentitus est ut ad amatam usque irreperet. Qua conspecta, it obviam et : « Tace, inquit ;

Puella non sum, supparo si induta sum [3]? »

Sibi gratulatur quod astutiae bene successerunt : « quanquam istaec malitiosa non tam calleat, se tamen fefellisse [4] ». — Tunc argumentum fabulae verisimiliter magis implicatum fiebat, et comica impedimenta, festivae tricae intercedebant. Tandem explicabatur nodus : adulescens a matre stupefacta irataque agnoscebatur. Puella contra miratione omnium gaudebat, ut narrat ipsa :

Ego misera risu clandestino rumpier ;
Torpere mater, amens ira fervere [5].

Sed orabat matrem ut ignosceret et mater placabilis ignoscebat. Filiae enim precanti : « Me auctore, mater, abstinebis. —

[1] Afranius, *Epistula*, I. — [2] *Ibid.*, XIV. — [3] *Ibid.*, XII. — [4] *Ibid.*, XIII. — [5] *Ibid.*, XV.

Quidnisi[1] ? », respondebat. Sic omnia componebantur et nuptiae fiebant. Quas in fabula partes epistula ageret, non facile est dicere. Poterat fieri ut comoediae titulus, velut saepius apud Plautum, in *Rudente*, in *Trinummo* evenit, ab aliqua re nullius momenti peteretur. Hac epistula forsan invitatus adolescens ad puellam consciam facti se conferebat. Quidquid est, ex fragmentis comoediam plus quam primis lineis adumbratam elicere possumus, atque, ne unquam illud a quo profecti sumus a nostris oculis absit, hanc comoediam. sive in nobiliore sive in humiliore domo agitur, totam, velut ceteras, domesticam esse rursus notamus.

Sed nuptiis factis, quid frequenter inter coniuges accideret, ex *Simulante* discimus. Dum sponsi erant iuvenes, crediderunt et iuraverunt etiam se in aeternum inter se amaturos. Coniuges autem facti, quales essent reipsa brevi apparuerunt. Omnium virtutum, quibus gaudebant invicem ornari, expertes sunt reperti ; evanuerunt gratissimi errores. Iam in *Fullonia* sua Titinius hanc post matrimonium mutationem animorum et mutuum alterius quasi fastidium indicaverat. Mulier querebatur quod « viro suo male mandata fuisset[2] ». Maritus contra mulierem longe aliam nunc esse declarabat atque fuerat ante nuptias ; viderat « virginem formosam, forma ferocem, sponso superbam[3] » ; nunc autem ea multo minus viro gloriabatur. Hic, in *Simulante*, maritus, postquam proprios Penates constituit, pravam suam indolem aliquantisper occultatam, non longa mora interposita, detexit. Impotens animi est, truculentus, vinosus; odiosus ad extremum propter suos mores uxori est factus. Quadam die vehementius etiam solito iurgium exortum est : nam ille « offendit, fregit, rupit, icit poculo[4] ». Uxor, ut aequum est, summa ira incensa est. Quid fortasse, dolore impulsa, facere non ausa esset, nisi se intulisset filius filiave inter patrem matremque et lenibus vocibus iram sedavisset?

Noli, mea mater, me praesente cum patre
Coicere. — Non, si noenu vis, <o> mel meum[5],

respondit mater. Tunc verisimile est socerum, ut ad meliores animos hunc male moratum generum revocaret eique medicare-

[1] Afranius, *Epistula*, XVI. — [2] Titinius, *Fullonia*, I. — [3] *Ibid.*, III. — [4] Afranius, *Simulans*, V. — [5] *Ibid.*, VII.

tur, astutiam quamdam excogitavisse. Amico enim suadente, simulat (inde fabulae nomen *Simulans* inditum est) se omnia haec saeviter ferre et filiam a marito abducturum esse[1]. Eum etiam paenitet quod non maturius astutiam in animo habuerit neque intervenerit ante quam hi verba inter sese acrius coniecissent[2]. Sed, statuto consilio, exsequi propositum parat : generum foras domo atque familia protrudere[3]. Nihil autem facilius, cum uxor dotalem domum habeat et servet. Quo modo maritus exigeretur, quamvis fragmenta taceant, ex loco orationis Tullianae pro Sestio habitae licet restituere. Nam Cicero nos docet, cum sua aetate ageretur Togata *Simulans*, nullum tunc fuisse locum, « in quo aliquid a poeta dictum cadere in hoc tempus videretur quod aut populum universum fugeret aut non exprimeret ipse actor[4] ». Ergo, contraria ratione, quidquid apud illum legimus inter actores spectatoresque romanos his ludis evenisse, pro certo habeamus ad fabulam ipsam transferendum esse et in personas quoque fabulae cadere. Sic, ex eo quod caterva tota histrionum ad Clodium conversa, « clarissima concentione, in ore impuri hominis imminens[5] », canticum contionata est quo turbulentum tribunum e theatro eicere videbatur, concludimus in comoedia pariter catervam totam propinquorum famulorumque in maritum impetum fecisse, atque, malefacta una voce exprobrantem, eum abire domo iussisse :

Haec, Tite, tua postprincipia atque exitus vitiosae vitae[6].

Turpe quidem et contumeliosum, adstante omni familia, ita increpari extrudique. Sed, genero demisso, nihil ultra socer requirebat; eum iudicabat satis correctum esse. Itaque, cum missus a patre nepos ad avum venisset oratum, hic ad ignoscendum facile erat propensus, et maritus in gratiam redibat.

Non autem res semper tam prospero exitu concludebantur, atque haud semel discordia inter coniuges orta in divortium evadebat, nedum sedaretur : quod iam ex *Divortio* Afranii vidimus, iterum autem meliusque etiam ex *Vopisco* eiusdem auctoris discemus. « Vopiscos appellabant, inquit Plinius, e geminis qui retenti utero nascerentur, altero interempto abortu[7]. » Quod quidem ipsum in nostra fabula accidit. Mulier quaedam, cum geminos

[1] Afranius, *Simulans*, I. — [2] *Ibid.*, VI. — [3] *Ibid.*, IX. — [4] Cic., *pro Sest.*, LV, 118. — [5] Cic., *loc. citat.* — [6] Afran., *Simulans*, III. — [7] Plin., *Nat. Hist.*, VII, 10.

concepisset, abortu facto mortuum partum ediderat. Pater, nulla ratione miserae matris habita, negat se alterum natum, id est vopiscum, bracchiis laturum, et omnes preces obstinate aversatur. Quid mirum?

> Amentes, quibus animi non sunt integri, surde audiunt[1].

Inde fit inter coniuges divortium, sive maritus uxorem repudiavit, sive, quod probabilius, irata femina propter acceptam iniuriam a marito digressa est. Aliquanto post, is qui tam pessime de uxore meritus erat, cruciari sua culpa incipit[2]. Vero et vehementi amore nunc capitur mulieris derelictae et graviter se peccasse intellegit; serius autem intellegit quam vellet : nam interea nuptiae, ut indicat fragmentum, videntur ab eo cum alia condictae fuisse :

> Quo casu cecidit spes reducendi domum
> Quam cupit[3].

Utrum postea assequeretur ut prius illud matrimonium, posteriore soluto, iterum iungeret, an nihil aliud ei restaret nisi ut magis magisque in dies desiderio maceraretur, silent fragmenta, nec multum, ut vera dicam, interest. Omitto alias personas, quibus quoque constabat et complicabatur fabula, sed quarum partes non satis perspicuae sunt : morosam imperiosamque mulierem, mariti dominam, anum pulchri adulescentis studiosam, parasitum, ancillam, servos. Sunt enim personae levioris momenti et secundarum partium. Sed, quod praecipuum in fabula est, divortium, satis aperte in fragmentis narratur; nec possum hunc maritum intueri, quem nuptiis solutis divortii paenitet, uxoris reducendae cupidissimum, quin statim mihi veniant in mentem Maecenas et Terentia, quorum vita in divortiis haud semel faciendis et nuptiis postea rursus contrahendis occupata fuit.

Cum *Vopisco* Afranii exitum habet haec victus consuetudo quam alia fabula, *Epistula*, nascentem inchoatamque ostenderat. Nunc circuitus effectus est et cursus totus peractus. Primi iuvenum amores semper se duraturos profitebantur; mox discordia, deinde fastidium secutum est; quantum sponsi optaverant ut alter cum

[1] Afranius, *Vopiscus*, III. — [2] *Ibid.*, V. — [3] *Ibid.*, V.

altero iungeretur, tantum, postquam coniuges facti sunt, inter se nunc fugiunt. Si ea quae descripserunt Togatarum auctores Plautinis fabulis cedunt amplitudine, vi, nitore, tamen magnam veritatem et iucunditatem retinent, nec Romanorum tantum vitam privatam ante exponunt oculos, sed humanae quoque vitae, quibuscumque locis temporibusve versatur, plurimum luminis afferunt. Quod igitur familiam romanam hae fabulae penitus sunt intuitae, inde genuinam propriamque virtutem hauserunt; quod in ea pingenda non unius aetatis vel gentis finibus terminantur, a nostris recentiorum comoediis non multum sunt absimiles.

§ 5.

Si pergendo nunc illa poetarum comicorum in familiam maledicta longius percensere velimus et quo quadam rerum necessitate tendat haec in describenda vita domestica maior maiorque audacia cognoscere, usque in mimos penetrare cogamur. Quam novam materiam ut breviter tantum et strictim attingere debeo, ita non possum omnino praetermittere : hic enim omnium rerum quas supra tractavi quasi terminus et finis ponitur. A Togatarum auctoribus discordiae quidem inter coniuges et iurgia inter domesticos haud segniter, ut vidimus, descripta fuerant. Sed de adulteriis nonnullam etiamnunc verecundiam adhibentes, decori matronarum pepercerant : suspectas tantummodo eas, non reipsa stupri noxias, labantes quidem et forsan brevi lapsuras, nondum lapsas ostenderant. Quomodo autem alia comoediarum genera, quae, quippe rusticiora, licentiam omnia aggrediendi sibi sumebant, illam supremam verecundiam servavissent?

Hic mihi non res est cum Atellanis, quae, etsi liberrime loquuntur, res publicas tamen potius quam privatas lacessunt et candidatos, suffragatores, stultum Pappum praeteritum, non minus stupidum populum qui inconsiderate eumdem petitorem modo eligit modo repellit, aeque irridere non dubitant[1]. Mimorum vero pleraque argumenta in adulteriis, et quidem sine ulla modestia, continebantur. Quin mimi inter omnes scaenicos ludos lascivia et obscenitate etiam eminuerint, non dubium est, cum definitio

[1] Pomponius et Novius, *Pappus praeteritus*.

ipsa vocabuli a fideli vilium et turpium rerum personarumve petatur imitatione[1]. Quin autem haec lascivia pingendi saepissime ad adulteria pertineret, non magis est dubitandum : multa multorum scriptorum testimonia, si non fragmenta ipsa mimorum, nos docent. Quae cum longum sit cuncta enumerare, illa praeteribo quae defensores Ecclesiae Christianae[2] vel auctores Historiae Augustae antea[3] tradiderunt, et antiquiora propioraque huic nostrarum Togatarum aetati sola proferam. Inter quae Valerius Maximus refert urbem Massiliam « custodem severitatis acerrimam nullum in scaenam aditum mimis dedisse, quorum *argumenta maiore ex parte stuprorum continent actus*[4] », et Seneca rhetor de « nuptiis vere mimicis » loquitur, « in quibus ante in cubiculum rivalis venit quam maritus[5] », et Ovidius denique copiossimus est in licentia mimorum describenda. Qui, cum quereretur quod tam aspere sua carmina a Romanis habita fuissent et sibi perniciem attulissent, haud immerito exclamabat :

Quid, si scripsissem mimos, obscena iocantes,
Qui semper ficti crimen amoris habent?
In quibus assidue cultus procedit adulter,
Verbaque dat stulto callida nupta viro[6].

Et indignatur, quoties fefellerit « amans aliqua novitate maritum », a corona spectantium plaudi et palmam dari poetae. Quin, Augustus ipse gaudet his fabulis turpia imitantibus et scaenica videt lentus adulteria[7]. Sed et fragmentum quoddam mimorum omnia testimonia allata, per se iam satis gravia, confirmat, si opus est. Nam in *Belonistria* Laberii non adulterium modo sed incestus quoque in scaenam inducitur, ut quidam alteri personae vel spectatoribus explicat :

...Domina nostra privignum suum
Amat efflictim[8].

— At non minora apud *Phaedram* Euripidis deprehendebantur. — Scimus ; sed nunc argumentum fabulae a mendaciis μύθων in

[1] Vide Diomed., III, p. 491 Keil ; Donatus, *de Tragoed. et Comoed.* — [2] Minuc. Felix, 37, 12 ; Tertull., *ad Nationes*, I, 10 ; Cyprian., *de Spectac.*, VI. — [3] Iul. Capitol., in vita *Marci Antonini*, 29 ; Ael. Lamprid., in vita *Heliogabali*, 25. — [4] Valer. Maxim., II, 6, 7. — [5] Senec., *Controv.*, II, 4, p. 197 K. — [6] Ovid., *Trist.*, II, 497 sq. — [7] *Ibid.*, passim. — [8] Laberius, *Belonistria*, apud Ribbeck.[3], p. 341.

veram cotidianamque vitam transfertur; nec videtur privignus in mimo novercam corruptricem tam male audiisse quam Hippolytus.

Ita, tres illae personae, assidui comites, ex quibus apud nos recentiores omnis comoedia constat, maritus, uxor amatorque, assidue iam in mimis coniunctae reperiuntur, maritus capite raso semper stupidus illususque, uxor semper impudica, amator semper pulchellus et amatus. Nec quidquam populum otiosum et depravatum magis delectabat eumque in longiores risus solvebat quam si clam maritum amantes statuta hora convenientes colloquium amantissimis verbis faciebant, post, marito domum ex improviso redeunte, territi quaerebant quomodo possent fugere; tum bellus iuvenis sub cista quadam celabatur [1]; adultera mulier blanditiis maritum a perscrutando deterrebat, aut, si scrutabatur, astutiis in errorem trahebat; restabatque ut vir ineptus vanam iram in rivalem servatum et sub cista ridentem, concrepante plausibus theatro, effunderet.

Non minus corruptos ea aetate fuisse privatos mores quam mimi eos effingerent, nec peiora vero in his fabulis excogitata esse, haud ignoro. In quantum enim licentiae et impudicitiae, ultimis liberae reipublicae temporibus et principatu Augusti, mulieres nobilissimo etiam loco natae proruperint si velim ostendere, materia non deficiat. Exempla his magnis auctoribus fulta non sane irrita manebant, et Clodiam vel Semproniam vel Iulias haud una alia imitabatur. Cum in ipsa domo principis, severissimis legibus in adulteria nuper latis, filiam neptemque Augusti videmus turpibus flagitiis stuprisque coopertas, ex istis solis ceteras discere possumus [2]. Quod si ergo Seneca aliquid nimii videtur admisisse, professus mimos multa esse mentitos ad exprobrandam luxuriam et, in tanta incredibilium vitiorum copia, plura etiam praeteriisse quam finxisse [3], hoc saltem philosopho concedimus eos, quamvis « imitantes turpia et obscena iocantes [4] », nihil finxisse tamen, nec quidquam nisi vitam ipsam rettulisse.

Non possum autem satis mirari quod mimi talia, et impune

[1] Iuven., VI, 44. — [2] De hac lascivia temporum Sallustius, Ovidius, omnes aequales auctores consentiunt. — [3] Senec., *de Brevitate vitae*, 12, 8. — [4] Ovid., *Trist.*, II, v. 515 et 497.

quidem, ausi sint neque Augustus, corrector ille morum, senserit maxima moribus pericula per has fabulas importari et adulteria, dum in scaena monstrabantur, spectatoribus praecipi. Non modo non sensit ille, sed, quia spectaculis aderat, malum fovebat ; nec plebs tantum rustica rusticis his ludis delectabatur, sed « nubilis virgo matronaque virque puerque[1] », senatus frequens, honoratissimus quisque ad ea spectanda accurrebat. Quam longe aberat tempus cum Palliata ne transeundo quidem domesticam vitam et muliebre decus attingere auderet ! Nunc comoedia in prorsus diversa transiit, et, quemadmodum in Palliata timidior, ita in mimis nihil iam sancti nec pensi habuit.

Hic finem habet historia illa familiae quam a Plauto Terentioque usque ad Laberium Publiumque Syrum exsequi licet ; cuius in cursu Togata maximum habet momentum, cum secreta privatae domus et intimas discordias in scaena patefecerit vere prima atque ita mimis, qui longius procedere debebant, viam aperuerit.

IV

Quid sit igitur proprium comoediae togatae inquisivimus et tres praecipuas agnovimus esse virtutes quibus hoc fabularum genus emineat. Illud diximus patrium esse, id est nil nisi romanum redolere nullosque nisi romanos mores et usus referre ; populare, id est nullas personas nisi minutam plebem humilesque artifices in theatrum traducere ; domesticum denique (id quod maximum), hoc est privatos civium mores eorumque cotidianam domi vitam depingere. Quid aliud inde concludemus nisi Togatas studere ut vera describendo rerum ipsarum imagines reddant et spectator, dum agnoscit aequales, romanos habitus, patria instituta, familiarem focum, gratissimo errore deceptus, se non quoddam spectaculum sed quasi vitam ipsam intueri arbitretur. Quod quidem mendacium in Palliatis, praesertim in Plautinis fabulis, non multum evenire poterat. Spectantibus enim, ubi finem ridendi faciebant et colligebant animos, in mentem veniebat (de iis loquor iudicium adhibere assuetis), multa a Plauto esse excogitata et

[1] Ovid., *Trist.*, 501.

parum verisimilia, nec res eodem modo in vita cotidiana se habere

Illius profecto personae cuius sint temporis, cuius etiam gentis, non certum in modum dixeris ; parum dilucidis lineis adumbratae sunt. Unum aut alterum esse mercatorem vel senatorem scimus ; sed quid ceteri ? Patres, filios, matres, meretrices videmus ; nihil autem habent quod magis sit definitum. Nec est cur miremur. Vetus enim comoedia Aristophanis, quamvis plurimum apud Graecos valuisset, uni tamen populo aetatique aptior erat et magis a romanis moribus aliena quam ut in theatrum romanum transferretur ; sed cum Plauti aequales ne cogitarent quidem aliquid posse tentari nisi Graecia duce et auspice, ad Novam Graecorum Comoediam confugere poetae romani debuerunt. Quae Menandri comoedia, quia immotos aeternosque affectus omnibus hominibus insitos describebat, non peregrinam speciem, translata in latinam scaenam, retinere videbatur ; sed quia eam Plautus Terentiusque secuti sunt, inde eorum personae exemplaria humani generis potius quam Romanorum civium expresserunt.

Insuper, illud apud Plautum praesertim accedit quod poeta plerumque in effingendis personis vel deducendis argumentis ingenii libidinibus et licentiae facetiarum supra modum indulsit. Cum hoc unum sibi proponeret, ut risum moveret spectatoribus, voluit eas personas (servos, parasitos, lenones, meretrices) in fabulis dominari et primas agere partes, quae vix secundis, si veritati consuluisset, dignae fuissent, sed quia maxime scurriles erant ; pariterque in eis commoratus est scaenis (quanto gaudio, fabulae demonstrant), quae cum ceteris saepe parum, nonnunquam minime cohaerebant etiamque rectae argumenti rationi nocebant, sed quia cachinnis omnium tollendis aptiores erant : inde haec convivia servorum in *Sticho*, haec iurgia sine fine inter parasitos et servos, et sexcenti loci eiusdem modi. Quoties iocandi lasciviendique occasio dabatur, non omisit quin arriperet, etiam cum reliquae fabulae detrimento : adeo impotenti natura impellebatur.

Sed dum sic vagabatur, nescius modi, minime artis legumque studiosus, nonne magis magisque a veri similitudine recedebat ? Multa mira quidem festivitate condita et hilariter ficta, non multum autem vitam ipsam populo praebebat. Itaque, dum Novae Comoediae poetas imitabatur, homines universos potius quam Romanos singulares depinxit ; cum vero graeca exemplaria deseruit et suo

soli ingenio credidit, saepe evenit ut veritatem minus etiam sequeretur. Posterius hoc vitium quidem Terentius vitavit, qui, non eadem comica virtute praeditus sed exquisitae artis curiosus, delicati tantum urbanique salis amans, nunquam modum egressus sit et intra exemplaris imitationem diligenter sese continuerit. Cum autem multo artius quam Plautus Graecis poetis haeserit, ex hoc ipso illud consequebatur ut magis quam Plautus humanam naturam generatim, non homines cuiusdam certae aetatis nationisque in fabulis suis referret. — Longe aliter de Togatis rem sese habere monstravimus. Hic nihil quod non nisi ad solos Romanos adque unam aetatem pertineat; nulla nisi aequalium vitia ridentur. Itaque quanquam multa inter Aristophanis fabulas et Togatas intersunt, quoniam illae res publicas, hae nihil aliud quam privatos mores lacessere conantur, tamen utraeque cives in theatrum producunt[1], atque, huic tantum propriae populo cui dantur spectandae, quiddam simile inde retinent.

Ergo Togatae, ut apertum est, multo magis quam Palliatae, et moribus romanis vere pingendis consuluerunt et ad illud veri accesserunt. Mulieres non iam manent obumbratae, vel raro in scaena conspicuae vel, cum apparent, inferiore gradu habitae; sed tales agunt partes quales in vita cotidiana et in aequum locum, convenienter suae verae in republica condicioni, reponuntur. Parte contraria sed non minus ad veritatem apta, servi qui in primarias partes promoti fuerant atque eris suis ingenio longe praestabant, de hoc fastigio male occupato ad magis dignum genere gradum devolvuntur. Nonne enim absurdum videbatur, cum Romae tam duri mores et tam acerbae leges in servos essent, ab istiusmodi hominibus senes derisos semper in fabula suppilatosque ostendere? Terentius ipse, quamvis servos in minorem petulantiam sese effundentes pinxisset, non abstinuerat quin « eos dominis sapientiores fingeret[2] ». Nec quisquam indignabatur. Quin, id Romani concedebant Palliatarum poetis, si quidem Donato credimus Terentianum Eunuchum annotanti: censebant fortasse non prohibere leges generis huius quin nimia et contra fidem excogitata admitterentur in fabulam ingeniique

[1] Hoc interposito discrimine, quod Veteri Graecorum Comoediae fuit « lege concessum ut quod vellet, de quo vellet, *nominatim* diceret » (Cic., de Rep., IV, 10), nunquam autem Togatarum auctoribus. — [2] Donat., *ad Eun.*, I, 1, 12.

libido latius pateret. Sed in Togatis non item; Donatus enim addit : « Quod idem in Togata non fere licet. » Hic servorum lasciviae et audaciae modus impositus est, nam in re ipsa servi non lasciviunt neque sunt audaces; hic non comissantur, neque potant, neque saltant, ut in *Sticho*, nam in re ipsa vapulant, nedum saltent. Sic omnia a ficta pictura imaginibusque mente poetae creatis ad rem veritatemque revocabantur.

Inde paulo graviores Palliatis Togatas evasisse, non est cur valde miremur : ab enim Plautina scurrilitate multum recedebant. Neque aliter, ut mihi videtur, quidam Senecae locus interpretandus est, de quo frequenter sed parum apte critici disseruerunt. Haec sunt philosophi verba : « Non attingam tragicos nec Togatas nostras. Habent enim hae quoque aliquid severitatis et sunt inter comoedias et tragoedias mediae [1]. » Plerumque, quod sententiis refertae sint, aliquid severitatis habuisse creduntur. In Togatis fuisse sententias, et quidem satis multas, haud sane negaverim. Quomodo apud Romanos, tam sententiarum amantes, fabula quaevis, sive tragica sive comica, sententiis caruisset ? Sed propter hanc ipsam causam apud Plautum quoque, inter facetias et illepidos sales, sententiae non deficiunt; attamen Plautus nullo modo, ut videtur, severus auctor merito vocari potest. Non igitur ad sententias solas Seneca animum referebat, cum aliquid severitatis Togatis tribueret; sed quiddam etiam aliud significabat quo a Plautinis fabulis hae discreparent, videlicet id quod nosmet ipsi de mulieribus servisque supra explicare studuimus.

Medias autem fuisse Togatas inter comoedias tragoediasque, prorsus mirum criticis nec credibile visum est. Itaque alii, ex quibus Neukirchius [2], cum Senecae non assentiantur, eum erravisse putant; alii, inter quos Teuffelius [3], nolentes ad hanc conclusionem descendere, dicunt verbum *Togatas* hoc loco non in eas tantum comoedias quarum argumentum a Romanis petebatur, sed in omnes fabulas et tragicas et comicas romani argumenti cadere, et praesertim fabulas *praetextatas* designare. Quod mihi falsum videtur, et quia nondum Senecae tempore illud ver-

[1] Senec., *Ep.*, VIII, 8. — [2] Neukirch., *De fab. togat. Romanorum*, p. 51. — [3] Teuffel, *Geschichte der römischen Literatur*, trad. *Bonnard et Pierson*, p. 27, 1.

bum tam late patenti significatione dici solebat [1], et quia nostro peculiari loco verba *Togatas nostras* iuxta *tragicos* posita omnino intellectu carerent, si ad Praetextas, id est ad tragoediarum genus, et ipsa pertinerent; nam sic philosophus nihil aliud quam eadem diversis vocabulis iteravisset. Ergo, contrario sensu, solas comoedias romanas Togatarum nomine hic significari colligendum est.

Cur autem sic colligere non audeamus? Quid habet haec interpretatio quod nos commoveat? Illam Neukirchius, Teuffelius ceterique fugerunt, quia non satis quae sit vera Togatarum natura videntur sibi proposuisse. Sed ante oculos nobis sint illae comoediae quales monstravimus, ubi res domesticae et intima cuiusque vita tam fideliter depinguntur. Cogitemus autem quam multis ex curis, discordiis, doloribus etiam et lacrimis haec vita cotidiana plerumque constet! Quid mirum si comoedia, quae in ea effingenda moratur, saepe sponte sua ad hos exprimendos dolores vocem tollit et gravissima apparet? Tunc eam non iam fere esse comoediam, sed alteri generi finitimam, et aliquid vere tragici spirare haud iniuria dixeris. Cum nostris Gallorum comoediis Togatas supra contulimus; haec similitudo nonnihil nunc confirmatur. Nonne enim nostrae recentiores fabulae illud habent proprii quod res comicas cum tragicis miscent, et modo risus modo lacrimas eaedem eliciunt? Quapropter scriptores, vetus vocabulum nova significatione usurpantes, eas δράματα appellaverunt. Non pariter Togatae quidem, ut statuere licet, tristia ridiculis coniungebant; attamen quiddam simile in eis reperias, ita ut quodam modo δράματα quoque (recentiorum sensu dicta) fuisse videantur. Verba igitur Senecae facile intellegi possunt, neque ullo modo opus est ea in depravatum sensum detorquere.

Sed, Togatis severioribus factis quam Plauti fuerant fabulae, num haec gravitas magno ad placendum momento apud populum futura erat? De re dubium est. Quid enim requirebat populus nisi ut multo sale recrearetur et effuse rideret. Itaque iam augurari possimus Togatas non multum in scaena viguisse. Utrum reipsa viguerint necne, paulo intentius nunc inspiciendum est.

[1] Vide quid de hac re supra disseruerimus, in *primo capite*, II.

CAPUT QUINTUM

CUR FABULAE TOGATAE NON PROSPERE SUCCESSERINT

Quoniam Togatae, his supra enumeratis virtutibus, romanam vitam Romanis, suam civibus propriam effigiem tanquam in speculo expressam reddebant, quid magis consentaneum videatur, quam si quis eas benigne a populo exceptas fuisse et diu in scaena stetisse putet? Nam quemadmodum spectatores Terentium reprehendere poterant quod nihil nisi alienos mores et externas personas ostenderat, ita, cum apud Titinium, Attam, Afraniumque togatos cives et forenses tabernas et vicinorum ridicula et suum quisque vicum vel sua negotia agnoscerent, nonne hac imagine delectati libenter in theatro retineri, ursorum pugilumque immemores, debebant? — Quod contrarium fuit : in Togatis spectandis mox populus fatigatus est.

Quamvis hoc mirum videatur, eas non placuisse constat : Afranio mortuo, de iis actum fuit. Primo enim Atellanae, deinde mimus, favorem multitudinis sibi conciliando, Togatas longe obscuraverunt. Afranii quidem fabulae etiamnum Nerone principe agebantur; nullum autem alium scriptorem reperias qui easdem romani argumenti comoedias post Afranium coluerit. Tria sola nomina a Ribbeckio, quamvis omnia perscrutante, produci potuerunt [1]. Quid vero ex ea scriptorum tanta paucitate statuemus, nisi Togatas mediocriter successisse? Licet Neukirchius existimaverit « poetas Romanos facilius sibi duxisse graecas fabulas, paucis mutatis, latine vertere, quam prorsus novas fingere [2] », ideoque,

[1] Non ignoro Neukirchium (*op. cit.*, p. 68) plura nomina proferre ; sed ad suam confirmandam opinionem levissimis tantum documentis vel auctoribus nititur, neque ullo modo fidem legentibus facit. — [2] Neukirch., *loco citato.*

seu prigritia seu infelicitate ingenii, perraro in hoc genere elaboravisse, eius sententiae assentiri non possum. Nam si novum illud genus populo placuisset, quid poetae non fecissent ut morem gererent populo? Etiamsi res fuisset maioris operae ac laboris quam erat reipsa, tamen non pepercissent labori. Neukirchius enim oblitus est iudicia populi, cum in aliis artibus, tum praesertim in theatro, multum valere, et, ut ad comoedias verba Ciceronis de eloquentia dicta transferam[1], spectatorum prudentiam semper fuisse scaenicorum poetarum moderatricem. Ubi quaedam forma comoediae plausibus excepta est, multi statim inveniuntur qui ad eius exemplum multas fabulas componant : unus exitus felix post se turbam imitatorum trahit. Quia igitur pauci Togatarum scriptores fuerunt, pro certo habeamus parvum Togatarum successum fuisse. Cuius rei nonnullas causas afferre licet.

I

Primo non credendum est tantam, quanta videtur, Togatarum novitatem fuisse. Nam si nihil maiori est delectationi spectatoribus quam cum « effictos suos mores in alienis personis expressamque imaginem suae vitae cotidianae[2] » vident, Plautus antea huic populi studio magna ex parte satisfecerat. Nempe hunc dixi, non certe ex arbitrio sed temporum et exemplarium necessitate, adductum fuisse ut humanam naturam, qualis apud omnes gentes et omnibus aetatibus obversatur, potius quam homines aequales depingeret. Attamen non poterat, praesertim quo fervido praeditus erat ingenio, tam fideliter Diphili vel Philemonis imitationi haerere quin, si non universum argumentum (quod totum graecum manet), at singula ad suam aetatem et romanos mores frequenter detorqueret. Etiamsi intra graecum exemplar sese continere velit, nequit animo temperare; quoque actu, quaque scaena, e finibus certis erumpit, et, qui diligens speculator oculos in sui temporis res hominesque defixos teneat, dum se peregrinos tantum sequi arbitratur, nonnihil ex rebus patriis inscius in comoedias traducit : adeo quae de Graecis transfert, ea per mentis

[1] Cic., *Orator*, VIII. — [2] Cic., *pro S. Rosc. Amer.*, XVI.

facultatem quasi sponte sua in romana immutantur. Ita enim res se habet ; personae pallio vestitae sunt, nominibus graecis appellatae, sed, quamvis externam speciem prae se ferentes, sexcenta loquuntur et agunt quae Romam redolent : iocos undique scaturientes audimus, minime atticos [1], verum ex Foro, Velabro Suburraque manifesto profectos. Dum poeta ipse se nihil aliud quam imitationem graecam nostris oculis proponere et Ὀναγόν Demophili vel Ἔμπορον Philemonis « barbare vortisse » profitetur, subito quaedam sententia, versus quidam, unum etiam verbum emissum admonet eum non adeo alienum vestimentum induisse ut propriam pellem exueret. Sic, ad vitam latinam saepius alludendo, facit ut pone Graeciam, quae a fronte conspicitur, ipsa Romae imago plus quam adumbrata appareat.

Omnes locos quibus hoc proditur si percenserem, longum esset et a proposito digrederer. Adde quod res iam fusius est pertractata, nec quidquam mihi restaret quam ut, quae sint optime ab egregiis viris dicta [2], iterum dicerem. Nonnulla igitur exempla tantum proferam. Sic, non mediocriter mirandum legentibus Plautum videtur quod in his fabulis graecis de magistro curiae, quaestore et praetore, de praefecto morum, augurum collegio, censore, comitiis, publicanis assidue agitur. Ubi magistratus graecus exspectatur, romanus prodit; aliquando etiam, ambo, et graecus et romanus, insolenter consociati simul se ostendunt; eadem persona aedilis et agoranomus eodem versu vocatur [3]. Alibi servus quidam agricolas Cyrenenses compellare incipit; mox, Libyae oblitus, de foro Capuae loquitur [4]. Alibi Capitolium Epidauri [5], triumviros Thebis [6], praetorem Athenis [7] reperire est. Alibi postquam de Graecis palliatis, de Caria, Lycia, vel fano Aesculapii vel auro Philippeo audivimus, choragus admittitur et, fabulae immemor, quales apud Cluacinae sacrum vel sub Basilica versentur homines, populum docet; tunc, sermone inchoato, dicere non desistit et forum piscatorium, tabernas veteres, aedem Castoris, vicum Tuscum, Velabrum, plerasque Urbis

[1] Quanquam id profitetur (*Persa*, III, 1, 67). — [2] De hac re G. Boissier thesim Facultati Parisiensi proposuit : *Quomodo graecos poetas Plautus transtulerit*, et J. Naudet antea suam Plautinarum fabularum translationem copiose annotavit, et C. Labitte denique (*Revue des Deux Mondes*, 1er mai 1844) quasdam plenas succo et elegantia paginas scripsit. — [3] *Captivi*, IV, 2, 43-44. — [4] *Rudens*, III, 2, 17. — [5] *Curculio*, II, 2, 19. — [6] *Amphitruo*, I, 1, 3. — [7] *Epidicus*, I, 1, 25.

regiones persequitur [1]. Sic omnia graeca romanaque miscentur. Quin, quo verius dicam, vincit apud poetam rerum romanarum respectus. Ne credas eum fieri atticum; perpetuo mentitur et manet romanus.

Naturam expellas furca, tamen usque recurret.[2]

Spectatores quoque, postquam maria, poeta hortante, sibi transeunda paulisper putaverunt, brevi post tempore agnoscunt se Romam non reliquisse.

Sed quaedam e Palliatis excerpta, si cum Togatis conferuntur, melius illustrant quam similitudinem plurimis locis utraeque fabulae inter se habeant. Meministi forsan nos Togatas laudavisse quod, studiorum romanorum bene scientes, litibus et iudiciorum formulis et actionibus apud praetorem et argutiis iurisprudentiae magnum locum videntur tribuisse. Fabulae *Auctio* et *Iurisperita* inscriptae populo, cui spectandae dabantur, maxime conveniebant. Sed apud Plautum, si nullius fabulae argumentum ex iudiciis totum petitum est, at in quaque fabula multa occurrunt (et quidem ita ut nequeas numerare) quae ad haec populi studia animum spectantium revocent. Omnes Plauti personae et ius cognoscunt et, quando opus est, iure utuntur; nihil nisi verba iudiciaria et leges *barbaricas* crepant: *Ambula in ius; i ad praetorem; licet antestari*[3] *?* Tam insitae sunt omnibus hae actionum formulae ut amantes ipsi, quos par est teneris vocibus congredi, tamen quasi duo litigantes inter se alloquuntur [4]. Si cuiusque civis Romani officium erat, ut Cicero docet, duodecim Tabulas a pueritia edidicisse velut « carmen necessarium [5] », non multum de ea re Plauti personae personis Togatarum cedunt. — Illas quoque auctiones Romae usitatissimas, a quibus Afranius materiam cuiusdam fabulae sumpsit, iam Plautus attrectaverat. Factum iri auctionem Menaechmi nuntiatur sub finem fabulae; stabit praeco; venibunt servi, supellex, fundi, aedes; « venibit uxor quoque etiam, si quis emtor venerit [6] ». In *Sticho* parasitus auctionem ridicule imitatur. Ei paene fame emortuo quid aliud restat quam ut semet ipsum vendat? Vendit ergo quidquid habet, logos quibus meliores

[1] *Curculio*, IV, 1, 1-25. — [2] Horatius, *Epist.*, I, 10, 24. — [3] G. Boissier, *op. citat.*, p. 31. — [4] *Curculio*, I, 3, 5. — [5] Cic., *de Legibus*, II, 23. — [6] *Menaechm.*, V, 9, 95 sq.

nullus alius teneat, cavillationes, assentatiunculas, rubiginosam strigilem, ampullam rubidam, et, novissime, parasitum inanem quo recondantur reliquiae [1].

Quid de re militari? Cum Romani bellorum non minus quam litium amantes, imo amantiores fortasse fuerint, Togatae sane non omiserunt ad bella militiamque saepius respicere. Num autem ad ea minus saepe Plautus respexit aut verbis minus proprie romanis usus est? Nonne perpetuo servos iuvenesque, cum lenonem vel patrem sunt suppilaturi, ducibus exercituum signa attollentibus et obsidionem parantibus componit, eorum astutias stratagematibus, prosperos denique fraudum eventus victoriis de hostibus relatis? Qui insolentes imperatores tam ferociter accinguntur ad proelium quam superbe facinoribus gloriantur. Haud scio an nullas alias figuras vel similitudines Plautus unquam in dicendo frequentius libentiusque adhibuit. Quae ita abundant ut vel summo digito comoedias evolventi amplam exemplorum segetem colligere liceat. Ne nimis multa exempla enumerare cogar, nullum enumerabo et lectorem documentorum cupidiorem ad Plautum ipsum remittam.

Quid de auspiciis diligenter habitis dicam, de haruspicibus, de divinis non minus a Plauto [2] quam ab Afranio derisis, de faeneratoribus et argentariis qui, ubi quid credideris,

citius extemplo a foro
Fugiunt quam ex porta ludis cum emissus' st lepus [3]?

Quid de dotatis uxoribus? Quibus Titinius quidem aemulique non pepercerant; sed quam vehementer Plautus quoque eas insectatus sit, satis supra monstravimus [4]. Quid de multitudine aliorum usuum quos manifestum est ex Urbe ipsa ortos esse? Nova Graecorum Comoedia, impetu et audacia Plauti labefactata, nunc videtur fisso aedificio similis, cuius per rimas aquae romanae undique subeunt. Menandri vel Diphili effigiem etiamnum agnoscis, non iam autem totam veramque. Utrum in peius an in melius detorta sit, non meum est hodie perspicere; at certe in aliam formam transiit, magis populo romano accommodatam eique gratiorem.

Quin, ioca ipsa a Titinio in peregrinos, Oscos et Volscos qui latine nesciunt [5], ab Afranio in Gallos saga vestitos, pingui taxea

[1] *Stichus*, I, 3, 65 sq. — [2] *Curculio*, II, 1-4, 33-35. — [3] *Persa*, III, 3, 30-31. — [4] Vide p. 70-71. [5] Titinius, *Quintus*, VII.

pastos [1], jactata apud Plautum quoque reperimus. Male habuit ille Praenestinos qui *coneam* pro *ciconiam* dicunt [2], atque haud semel, horum miserorum damno, petulantiae suae indulsit [3]. Nec magis abstinuit quin suos ipsius populares, « screatores et muccidos » Umbros [4], conviciis insequeretur, vel Campanos, patientissimum genus, rideret [5] : acerbissimam quidem hanc novissimam facetiam, si recordamur quanta saevitia, non multis ante annis, Romani Campanorum defectionem castigavissent eosque ad patientiam instituissent. Gaudebat autem populus, ut qui parum esset « jacentem lenis in hostem [6]», sic derideri et deprimi victos.

Propter igitur omnes illos sales quos Plautus de suo allatos graeco exemplari munifice adiciebat, Romani in eis quae sub oculis exponebantur saepe mores habitusque proprios, Romam ipsam vel Italiam, pristinos hostes vel subiectos populos agnoscebant. Togatarum auctores nihil fere aliud quam hanc veterem Plauti consuetudinem sancire, confirmare, latius diffundere conati sunt. Quod hic per singula taciteque, illi in universum et aperte effecerunt, vel saltem studuerunt efficere. Personis quidem nomina omnino romana indiderunt et scaenam fabularum ab Urbe ipsa propalam sumpserunt. Nonne autem, ut sincere loquamur, Plautus ipse, quamvis sileret, spectatores saepe Romam traducebat ? Num valde necessarium erat nomina proprie romana personis insuper adderentur ? Quin, si forte quiddam pingebat a romanis moribus alienum, curabat rei rationem reddere et se apud populum excusare ; monebat ne mirarentur servulos homines « potare, amare, atque ad cenam condicere » ; licere enim hoc Athenis [7]. Cur autem sic monebat spectatores, nisi quod, Graeciae obliti, argumenti scaenam vere Romae agi sibi persuadere poterant ? Adeo quae in theatrum producebat cum vita romana mire congruebant. Multa igitur et Palliatis et Togatis communia erant, nedum omnia in Togatis insolita inauditaque essent. Inde factum est ut populus, cum apud Plautum suam vitam satis claris lineis descriptam inveniret, alias fabulas in eadem describenda materia unice occupatas non vehementer desideraret. Plautus ei sufficiebat, quia eius studia affatim explebantur.

[1] Afranius, *Prosa* II, *Deditio*. — [2] Plautus, *Truculentus*, III, 2, 23. — [3] Id., *Trinummus*, III, 1, 8. — [4] Id., *Miles*, III, 1, 52. — [5] Id., *Trinummus*, II, 4, 144-145. — [6] Horatius, *Carmen saeculare*, 51. — [7] *Stichus*, III, 1, 39 sq.

II

Huic primae causae cur Togatae praeter nostram exspectationem mediocriter exceptae sint, illa secunda accedit quod Togatarum scriptores ea, quae principio sibi proposuerant, non omni ex parte exsecuti sunt. Non modo inceptum non plane novum erat, sed imperfectum etiam relictum fuit. Multa apud illos romana nota inscripta fuerant (quae diligenter indicavimus), sed satis multa quoque apud Plautum. Ut Togatae a Palliatis vere discreparent, omnia in illis romana esse oportuit. Quod quidem, inquam, facere primi scriptores decreverant; sed in peragendo consilio non constanter sententiae haeserunt. Vel potius, Titinius, ut videtur, cum proximus origini Togatarum fuerit, suam generi peculiarem formam magis retinere conatus est; sed post hunc Atta praesertimque Afranius hanc romanam speciem per totum cuiusque fabulae argumentum servare et propositum ad extremum exsequi aut non voluerunt aut non sustinuerunt. Ad Afranium ergo, mea sententia, debemus culpam conferre, si Togata, promissorum immemor, de sua via paulum deflexit. Quia autem Afranius et fecunditate et ingenio ceteris praestitit, ex eius potissimum fabulis, qualis fuerit Togata, iudicare omnes et antiqui et recentes assueverunt. Huius autem fabulae magis quam Plauti primo aspectu romanae videntur esse, sed, si propius inspicis, plura quam velles obversantur quae de pristina Palliata, id est de Nova Graecorum Comoedia, supersunt. Itaque quamvis Horatius eum aliosque laudibus ornaverit quod vestigia graeca deserere ausi sint, hunc celeberrimum versum non omnino iustum esse affirmamus.

§ 1. — Etenim quaedam personae in Palliatis perpetuo versatae et e Menandri comoedia sine dubio profectae in Togatas quoque receptae sunt. Agnosco hic parasitos commercatis conquisite edulibus gaudentes [1], manducare semper paratos [2], sacros scurras et malos [3], pestes domorum, qui iuvenes illicere et noctem facere de die callent [4], quos autem amovere ab infirmis adhuc animis et aspellere ab aedibus oportet [5]. Agnosco lenones, alteros

[1] Afranius, *Privignus*, XIII. — [2] Id., *Fratriae*, XVII. — [3] Id., *Fratriae*, XVIII. — [4] Titinius, *Quintus*, III. — [5] Id., *Gemina*, VI, VII.

illos adulescentium corruptores [1] aut puellarum raptores [2]. Agnosco servos flagriones [3], fures, quibus cordi est intra tunicam manum habere laevam et dextram in erile penum [4], servas vinosas [5] pallae vel glomeris lanae pilatrices [6], altercantes, inter se convicia iactantes [7]. Licet dixerim, Donato confisus, hoc genus hominum severius in Togatis quam in priore comoedia habitum fuisse et prohibitum ne eris suis praestaret, nonnulli tamen eorum haud multum discrepuisse a Plautinis servis videntur. Testis ille Nicasio, sceleratus, curiosus, qui patri aliquid de ratiuncula, filio conscio, furatus est [8]. Testes isti (nam mihi videntur ea quae dicuntur servorum esse) sibi gratulantes suam in excogitandis astutiis miram calliditatem et, si astutiae feliciter cesserint, tam magnificis verbis quam Chrysalus, Epidicus, Toxilusve triumphum celebrantes. Ille, quod pulchre incenderit rogum eumque ardentem videat, gloriatur [9]. Hic quasi imperator sit exsultat;

Hodie hostis fugavit; spolia placide posterius leget [10]:

credas Toxilum ipsum de hostibus victis, civibus salvis, re bene gesta, integro exercitu et praesidiis, praeda inter participes dividenda, iterum victoriam sonare [11].

Agnosco quoque matronas molestas [12], superbiter imperantes [13], maritos clam uxores ruri pergraecantes [14], ducentes scorta [15], patres duros et timorem filiis inicientes [16], prodigos et libidinosos filios sed defensos a servis qui iram poenamque paternam *perpalaestricos* avertunt [17]. Agnosco denique meretrices, aetate integra [18], scitula forma, quibus matronae, cum occurrunt consimili grassantibus via [19] et veste longa ornatis [20], vehementer irascuntur. Thais vel Moschis Neapolitis, inter alias quarum nomina perierunt, graecam originem non mentiuntur; quin, si Menander fabulam Θαΐς inscriptam composuit, nemo putabit fortuito solum casu accidisse ut cognominem comoediam Afranius scriberet. Hae meretrices, ut par est, celeberrimos locos frequentant, ubi spectare

[1] Titinius, *Gemina*, VI. — [2] Atta, *Ex incert. fab.*, IV. — [3] Afranius, *Vopiscus*, XXV. — [4] Id., *Talio*. — [5] Titinius, *Prilia*, VI. — [6] Id., *Prilia*, V; *Ex incert. fab.*, XXI. — [7] Afranius, *Prosa*, I. — [8] Id., *Incendium*, I. — [9] Id., *Epistula*, VII. — [10] Titinius, *Veliterna*, XI. — [11] Plaut., *Persa*, V, 1, 1 sq. — [12] Afran., *Inimici*, II. — [13] Id., *Purgamentum*. — [14] Titinius, *Ex incert. fab.*, XIII. — [15] Id., *Gemina*, V. — [16] Titinius, *Caecus*; Afranius, *Consobrini*, I.— [17] Afranius, *Exceptus*, XIV. [18] Id., *Divortium*, VIII. — [19] Id., *Exceptus*, II. — [20] Id., *Exceptus*, I; Atta, *Aquae Caldae*, I.

et spectari possint, id est Aquas Caldas, oppidula in litore maris sita. Ex quibus unius amore deperditus adulescens, cum desperaret sibi parem amorem ab amica redditum iri et finem vitae suae facere statuisset, in mare se abicit, sed a piscatore excipitur. Tunc meretrix tanto amore commota, ut soletur animum aegrum, hanc venustam et teneram vocem edit, Terentii meretricibus vere dignam :

> Quod vitae studium aut quod praesidium in posterum
> Mihi supponebas, me cum privares tui[1] ?

Licet igitur Togatae multas personas novas protulerint, nonnullas tamen ex prioribus scriptoribus servaverunt. Modo ad Plautinos servos, modo ad Terentianas meretrices videntur respexisse. Ne autem mihi obicias hos parasitos, meretrices, servos, quoniam a romanis moribus non alieni essent, a vita ipsa ductos fuisse. Cum enim easdem sollemnes partes apud Attam vel Afranium quas apud Plautum vel Terentium eis concessas video, non possum ad hanc opinionem non adduci, illos poetas de his prioribus haud uno loco recordari debuisse.

Quod si ad materiam fabularum transeas, ex his similibus personis necesse erat ut quaedam argumentorum similitudo sequeretur. Monstravi (nec quidquam de supra monstratis detraho) Togatarum auctores saepe a vita domestica, discordiis intimis, dissensionibus procul ex oculis turbae remotis petiisse unde fabulas componerent. Haec erant plane nova argumenta ; sed quaedam alia iis mixta reperiuntur quae ad usitatas Palliatas animum referunt. Sic sorores, « vespera oriente », clanculum a lenone feruntur ad specum[2] : quod quidem Plautini *Rudentis* commonet, ubi duae virgines pariter a lenone raptae in externam regionem vel saltem abditum locum deductae fuissent, nisi naufragium eas in libertatem vindicasset ; quo argumento pauca frequentius libentiusque vel Nova Comoedia apud Graecos vel Palliatae apud Romanos usurpaverunt. Sic *Epistula* Afranii *Eunucho* Terentii nonnihil est vicinior : apud utrumque enim adulescens, alieno vestitu indutus, ad amatam obrepit. Hae fabulae denique, in quibus tota domus scortorum amationibus perturbatur, patre uxorem derelinquente, filio irae patris obnoxio, quam multis sive Plauti sive Terentii fabulis similes sunt !

[1] Afranius, *Exceptus*, XII. — [2] Atta, *Ex incert. fab.*, IV.

§ 2. — Sed omittamus nunc Togatarum personas, omittamus argumenta. Orationi quoque inest, non dico apud hos omnes scriptores, sed apud Afranium, nescio quid quod magis quam cetera in illis fabulis romanis peregrinum sonet et graecum redoleat. Hac Afranius ad Palliatarum poetas quam proxime accedit. — Titinius saltem etiamque Atta se e Graecia eripere erant conati, et, cum humillimos loco homines, fullones, textores, in scaenam potissimum produxissent, sermone agresti, parum eleganti, sed Suburrae, foro piscatorio, tabernis conveniente usi erant, ita ut posterioribus grammaticis multa antiquitus dicta et obsoleta vocabula, ab urbanis reiecta, colligenda liquerint. Plebeiam igitur Togatis speciem, ad rusticos spectatores accommodatam, non male servaverant. Sed Afranius, eos secutus, in tritam antiquae Palliatae viam patulumque orbem magis atque magis relapsus est. Hunc enim urbaniorem natura elegantioremque ingenio allexit exquisita illa Menandri venustas, lepor ille Terentii. Non potuit, quanquam mores patrios referre in animo habebat, iis perlectis poetis abstinere quin quasdam ex miris eorum virtutibus detrahere studeret; non vidit autem, dum Graeciam in comoedias suas sic admittebat, se romanae Togatarum naturae plurimum nocere.

Quin, non modo lenitatem loquendi ab iis sumpsit, sed parum contentus si eamdem formam eumdemque, ut ita dicam, sonum orationis retineret, locos etiam integros, minus arte cum reliqua fabula coalescentes, non dubitavit, ut apparet ex Ciceronis et ipsius Afranii testimoniis [1], a Menandro vel a Terentio mutuari suosque habere [2] : tanta eius in exemplaria erat admiratio tantaque modestia; non sperabat enim in eadem versatus materia fore ut melius aliquid de suo proferret. Itaque non modo fatebatur se quaedam ab illis sumpsisse, sed gloriabatur quoque. Quorum locorum nullus, in nimia paucitate reliquiarum, ad nos pervenit, nec possumus hodie quodquam fragmentum ad Menandrum vel Terentium certiorem in modum referre. Attamen sunt quaedam ubi intentiorem Afranium fuisse in imitando exemplari facile suspiceris. Prorsus enim a Menandro videntur illi prologi effluxisse,

[1] Vide supra, p. 37. — [2] Credendum est ignota haec testimonia fuisse Wielandio, cum contendit Afranium nihil aliud nisi Menandream elegantiam ac festivitatem imitatum esse (apud Neukirch., *op. cit.*, p. 172).

quorum partes non cuidam ex fabulae personis sed nonnulli deo vel deae in scaenam prodeunti tribuuntur. Cuiusmodi prologos graecus poeta non insolenter adhibebat. Sic apud Afranium modo Priapus verba facit ad populum et ridicule dicit se natum esse e lepore[1]; modo Sapientia, apologo lepide excogitato usa, docet spectatores se filiam esse Usus et Memoriae :

Usus me genuit, mater peperit Memoria;
Sophiam vocant me Grai, vos Sapientiam[2].

In aliis autem prologis, non Menandrum sed Terentium Afranius imitatur. In *Compitalibus* enim, memor *Hecyrae Adelphorumque*, suo nomine nunc cum spectatoribus loquebatur et contra inimicos, fabularum defensor, propriam causam agebat[3].

Sed, licet satis multa fideliter transtulerit, nihil graecum signum altius impressum habet quam lingua et sermo poetae. Fere ubique exquisitum dicendi genus, plenum elegantiae et urbanitatis, valde a Titinio alienum, proximum autem Terentio reperitur. Eruditissimae sunt personae, quid agatur in theatris cognoscunt[4], Pacuvii verbis utuntur ad confirmandam sententiam[5], graece interdum loquuntur[6]. Plurimi etiam tibi fabulas legenti occurrunt versus quos ab ipsa Terentii manu profectos dicas : adeo sententiae saepe, aliquando verba ipsa huic poetae mirum in modum apta sunt. Ambo, puri sermonis amatores, quidquid in loquendo temperatum et moderatum est, quidquid etiam in iocando lepidum, requirunt. Quantum a protervitate veterum comicorum et rusticis salibus discrepant! Apud Plautum, quoties mulieres altercantur (quod haud raro accidit), non possunt quin statim ad illiberalissima verba devolvantur, et, quod multibibae et merobibae sint[7], invicem increpent. Titinius quoque non magis conviciis in illas abstinet. Vide contra apud Afranium quam politiores factae sint, et, si quando puella ab aliqua invida anu contumeliis petitur, nihil nisi leniter respondet :

Si possent homines delenimentis capi,
Omnes haberent nunc amatores anus.
Aetas et corpus tenerum et morigeratio,
Haec sunt venena formosarum mulierum.
Mala aetas nulla delenimenta invenit[8].

[1] Afranius, *Ex incert. fabulis*, II. — [2] Id., *Sella*, I. — [3] *Compitalia*, I, II, III.
[4] Afranius, *Emancipatus*, XXII. — [5] Id., *Auctio*, III. — [6] Id., *Prodigus*. —
[7] Plaut., *Curculio*, I, 1, 77. — [8] Afranius, *Vopiscus*, XX

Quid illis versibus venustius? Sed quid Terentio similius?

Alia autem, propter sententiarum leporem, excelsitatem animi, suavitatem orationis, magis fortasse etiam Terentianam imitationem produnt : cuncta haec praecepta dico quibus poeta nos hortatur ut intemperantiam fugiamus et modum imponamus cupiditatibus. Nonne enim illius sententiae toties decantatae « ne quid nimis » recordabatur, cum scripsit :

Cur nimium appetimus? Nemini nimium bene est[1].

Ea quoque quibus apparet quomodo Afraniani parentes erga liberos se gerant et liberi de parentibus loquantur :

Hem! isto parentum est vita vilis liberis,
Ubi malunt metui quam vereri se ab suis[2],

vel

Ni tantum amarem talem tam merito patrem
Iratus essem ad quo liceret[3],

nonne nos *Adelphorum*, et Micionis patrui propensi ad ignoscendum, et Aeschini, filii adoptati erga patruum reverentis, quasi sponte sua commonent?

Possim plura etiam eiusdem modi exempla afferre quae probent quam frequentia Afranius ex Terentiano fonte hauserit, — et plurima, si longiora essent fragmenta, sine dubio afferrem. Satis sit quaedam breviter commemorare. Hunc locum haud semel a Cicerone laudatum[4] ubi filio dissoluto dicenti : « Heu me miserum! » pater respondet :

... Dummodo doleat aliquid, doleat quid lubet[5],

non inepte Patin contulit[6] cum illa voce quam pater Terentianus, cum filius conscientia facti erubescit, laete profert :

Erubuit, salva res est[7].

Denique illud praeclarum quod in *Repudiato* Afranii legitur :

... Adducor ferre humana humanitus[8],

[1] *Emancipatus*, VI. — [2] *Consobrini*, I. — [3] *Privignus*, V. — [4] Cicero, *Tuscul.*, IV, 20, 45, et *Epist. ad Attic.*, XVI, 2, 3. — [5] Afranius, *Ex incert. fabulis*, V. — [6] Patin, *Poésie latine*, II, p. 331. — [7] Terent., *Adelph.*, IV, 5, 9; cf. *Andr.*, V, 3, 7. — [8] Afranius, *Repudiatus*, III.

id est aequo animo mala humanae sorti haerentia accipere, quam sententia et verbis finitimum est huic versui omnium celeberrimo, ubi quanam ratione non iam tu tecum sed cum aliis agere debeas praecipitur :

Homo sum; humani nihil a me alienum puto[1]!

Qui illum priorem versum scripsit, hunc posteriorem quoque scribere potuisset. Neque, ea dicens, Afranium mediocriter laudo; imo, libenter agnosco quibus delicatis exquisitisque virtutibus praeditus fuerit. Sed cum recordor illum comoedias proprie romanas et domesticum saporem retinentes componere voluisse, nequeo satis mirari quod, talia professus, Menandrum et Terentium, alterum graecum poetam, alterum ex omnibus poetis romanis graeco simillimum, imitari studuit. Certe ambo digni erant de quibus ille maximis laudibus loqueretur; sed huic imitationi non erat nunc locus. Minime ergo Afranius intellexit quae sibi sequenda essent exemplaria. Quid enim ab utroque sumi poterat, quod ad vitam patriam pingendam pertineret? Quid, quaeso, nisi graeca, minime huic comoediarum generi convenientia, imo nocentia? Ita ut merito nunc dubites num Afranii fabulae nota tam vere romana, quam principio visae nobis erant, signatae fuerint.

Ita res se habet : novum et intentatum genus est specie magis quam re ipsa, et Togatae videntur esse romanae magis quam sunt. Videntur romanae modo exteriora intuenti, ad vestitum et nomina sola personarum locorumve respicienti; sed si interiora vides, saepius Palliatas, id est graecas comoedias, rursus agnoscis. Quod quidem, si antiqua recentibus, tragoedias comoediis licet componere, nostro duodevicesimo saeculo fere idem evenit, cum nostri poetae, ut veterem Cornelii et Racinii tragoediam novis viribus reficerent, romanis graecisve heroibus gallica nomina et gallicam vestem imponere in animo instituerunt : non multa tamen a prioribus tragoediis mutabantur. — Adde quod Plautus ea, quae Togatarum poetae sibi proposuerant, parte aliqua sponte anteoccupaverat. Tunc hanc rem mirandam videre fuit : dum Plautus suas fabulas totas e Graecia haustas fuisse declara-

[1] Terent., *Hauton Timor.*, I, 1, 25.

bat, multa eis miscebat quae Romam denuntiabant et plura promissis largiebatur; Afranius contra, qui Romam solam Romanis praebere in animo habebat, multa admisit quae ab Urbe in Graeciam spectatores traducebant. Haud aliter quam si duo viatores eamdem viam sed contrarie sequuntur, cum iter ineunt, alter ab altero sunt remotissimi, sed medio itinere aut in unum conveniunt aut modicis saltem intervallis tantum separantur.

Quid mirum tunc si populus quid interesset inter Togatas Palliatasque, quoniam reipsa non iam multum intererat, minime perspexit? Non putavit has illasque esse secernendas; verum, hercle, non solius eius culpa id accidit. Hinc, apud Plautum, suos mores vix sub specie externa obumbratos spectabat; illinc, apud Afranium, nimis multa, quae iam in Terentianis fabulis sibi displicuerant, iterum inveniebat. Quid ei opus erat istis comoediis quae, quanquam dicebantur novae, plus aequo erant antiquae neque ullam insolitam voluptatem ipsi afferebant? Inde factum est ut quidquid in Togatis vere novum et magni erat pretii, commixtum Menandreae arti, spectatores effugerit. Populus enim in theatro clara tantum et lucida requirit, quae facile a ceteris distinguantur nec quidquam dubii in animo relinquant. Togatae autem quoddam genus fabularum erant parum distinctum parumque ab aliis segregatum. Quin, magis magisque eo pertinebant ut cum stipite ipsa, unde ortae erant, rursus coniungerentur. Itaque populus utrasque, et Palliatas et Togatas, nullo discrimine habito, in unum confudit.

III

Nulla ergo causa erat cur Togatae apud populum magis quam Plautinae fabulae valerent; quaedam erat causa cur valerent minus. Plauti enim fabulis multitudo valde delectabatur, nec poterat servorum iurgia, parasitorum iocos, omnes istas rusticas sed ridiculas facetias ex uberrimo poetae ingenio, tanquam ex perenni fonte, manantes audire, quin haec iam spectata iterum spectanda postularet. Comica illa poetae virtus, quae nunquam in excogitandis astutiis et spargendo sale fatigabatur, spectatores — ultimae quidem caveae, sed quid? plures erant — nunquam fatigabat; itaque huius ferventis beneficio petulantiae, quidquid grae-

cum erat probabatur. Togatae autem, si Senecae credimus, aliquid severitatis habebant [1] : quod minime aptum erat ad populo placendum. Iam enim Terentius, quippe parum in eligendis iocis facilis et in ridendo effusus, frigidior visus fuerat. Nunc Afranius mira subtilitate et eleganti oratione domesticos mores interioremque familiae vitam pingebat, atque, ut alia Senecae verba usurpem, quiddam componebat inter comoedias ac tragoedias medium [2] : propriam quidem (ne obliviscamur) et genuinam Togatarum virtutem. Sed quid virtutes genuinae multitudinis referebant, nisi insuper excitaretur risus? Nam risus captare totum esse ei videbatur. Hae vero Afranii fabulae, graviores factae et his nostris recentiorum fabulis quae δράματα vocamus nonnihil similes, non multum eam detinebant. In districtam discordiis et occupatam curis domum ingredi paulum studebat. Magis eam iuvabat Plautum sequi foras, in vicos, in ganeas etiam lustraque sibi nota. Ex duobus igitur fabularum generibus, quorum utrumque quamdam populi romani imaginem praebebat, populus, omni remota cunctatione, id elegit quo maiorem in laetitiam, licet rusticiorem, effundebatur. Quemadmodum, spectatis Terentii comoediis, Plauti non oblitus fuerat, ita, spectatis Togatis, ad eumdem Plautum conversus, veteris ridiculi poetae fabulas iterum atque iterum desiderabat.

Huc adducimur : auctores Togatarum nova tentaverant, sed intentius inspicienti tentata minus nova apparent quam videbantur. Auctores Togatarum se multitudinem oblectaturos crediderant, sed reipsa multo minus quam Plautus populo erant oblectationi.

Coeptum igitur inane evasit. Nihilominus, ei qui universae latini theatri historiae studet, res magni est momenti. Hac enim via poetae morientem Palliatam recreare conati erant, et, quia non prospere successerunt, inde manifestius fit cur Atellanae fabulae praesertimque mimi tanto assensu accepti sint.

Cum nobiliora fabularum genera, paulum e sua nobilitate descendendo, nihil profecissent, fieri poterat ut humiliora genera se attollendo meliorem exitum consequerentur : quod Atellanae mimique experti sunt. Non autem ita sunt experti ut multa exquisito urbanorum iudicio concederent. Desierunt quidem extempo-

[1] Vide supra, p. 100-101. — [2] Vide p. 100 ; Seneca, *Epist.*, VIII, 8.

rales esse subitoque, in scaena ipsa, excogitari; priusquam agerentur, scripti nunc et ad regulas artemque compositi fuerunt. Sed eo ipso contenti, de reliquis rebus ad plebem potissimum respexerunt, neque iniuria, si quidem benigne excipi volebant. Quae ergo nova Togatis inerant, hi pleraque ex parte collegerunt, sed ita tamen ut ingenio multitudinis ea accommodarent, id est rusticiora facerent. Sic domesticam illam vitam, in qua pingenda Togatae eminuerant, in mimis iterum descriptam (sed quanto turpius, quanto obscenius!) reperimus. Hoc enim praesertim Atellanae vel mimi a Togatis discrepant, quod rusticitate et procaci licentia in dies crescente temerantur[1]. Sed illa ipsa rusticitas causa fuit cur Romae multum floruerint; et novissimum omnium genus, mimi, quia impudicissimum erat, omnium diutissime duravit et usque ad extrema tempora, etiam cum Alaricus vel Totila ipsis moenibus Urbis impenderent, in theatro populum detinuit.

[1] Vide quam saepe tituli fabularum iidem sint in Atellanis mimisve qui in Togatis (Ribbeck, *Comicorum romanorum fragmenta*, edit. 3ª, 1898).

CONCLUSIO

Interea tamen Togatae non omnino mortuae erant. Nullus quidem post Afranium scriptor exsistit cuius nomen ad posteros pervenerit ; aliquod vero fabularum vestigium, quamvis obscurius et satis deletum, sequi licet. Quid ergo ab Augusto de eis factum fuerit, nobis fingamus animo. Quod *Incendium* Afranii aetate Neronis agebatur, non inde decet statuere multas eius fabulas in scaenam repositas [1] fuisse. Magna diu viguit fama poetae apud eruditos et delicatos lectores, et Apuleius eum propter elegantiam admirabatur [2] ; sed raro fabulae ipsae in theatrum redierunt : ne Plautinae quidem comoediae populum, mimis et pantomimis assuetum, iam delectabant. Itaque Togatae, cum aperta luce et oculis spectantium carerent, intra privatos parietes in auditoria confugerunt. Verisimile est enim, si quae romani argumenti comoediae etiamnum componebantur, eas non actas, sed solummodo fuisse recitatas. Nec res est miranda, cum omnia fere litterarum genera in recitationes vicissim sint recepta. Versus praesertimque versiculi primo recitati fuerant ; sed mox longiora poemata gravioraque opera, forsan historiae Velleii Paterculi, at certe heroica Statii

[1] Nullum aliud exemplum habemus alicuius Togatae post Augustum actae; et si quae aliae actae sunt, eas in ludos publicos imperatores inducebant tantummodo, cum volebant populum quodam raro isolentique spectaculo laetari : velut de Vespasiano Hadrianoque traditur, quorum alter, theatro Marcelli restituto, « vetera quoque acroamata revocaverat » (Sueton., 19), alter « fabulas omnis generis more antiquo » in scaena dedit (Spartian., 19). Ea ipsa Togata *Incendium* inscripta ludis inducta est quos pro aeternitate imperii susceptos Nero appellari Maximos voluit, concessumque est ut scaenici ardentis domus supellectilem diriperent ac sibi haberent (Sueton., *Nero*, 11) : quae quidem testantur hanc fabulam in nonnullam peculiarem occasionem actam fuisse. — [2] Apul., *Apolog.*, XII.

carmina, tragoediae Senecae, eloquentia denique ipsa, Plinio Traianum laudante, in his amicorum coetibus, coram populo officioso et ad plaudendum parato, paulatim apparuerunt. Quomodo comoediae, sive graecae[1] sive romanae extra consuetudinem legemque mansissent? Etiamsi nesciremus, coicere tamen liceret Togatas hunc finem habuisse. Sed nos coniectura non errare testis est Iuvenalis, qui, saepius multorum poemata coactus audire, indignatur non posse se par pari referre, et in operibus, quibus aures deditae sunt, ponit Togatas :

> Impune ergo mihi recitaverit ille Togatas,
> Hic elegos[2] ?

Omittamus Iuvenalem irasque eius. Illud exploratum tenemus Togatas his carminum generibus annumerandas esse quorum recitatione Plinius Secundus multique alii tantum iuvabantur.

Cum autem usque ad hunc occultiorem Togatarum cursum penetrare conemur, haud scio an altius etiam et in minus aperta descendere possimus. Quae suspicor quidem potius quam demonstrare queam ; sed non ineptum est ea suspicari. Saltatio, quae est ars pantomimorum, Togatis inserta mixtaque fuisse circa Augusti aetatem videtur. Nihil sane ad haec tempora erat accommodatius. Magis enim magisque in dies non verba, non sententiae, non res auditae, sed res visae, sed solum spectaculum, et apud histrionem motus corporis, gesticulationes, habitus, omnia denique extra argumentum ipsum fabulae obversantia multitudinem rusticam commovebant. Iam Horatius, ut notum est, haec animorum studia querebatur[3]. Non solum indocti stolidique equitum turmis et peditum catervis in scaena fugientibus, essedis, pilentis, petorritis, navibus, feris et divitiis peregrinis gaudebant, sed equites quoque apparatum fabulae attentius quam fabulam ipsam spectabant.

> Dixit adhuc aliquid ? — Nil sane. — Quid placet ergo ?
> Lana Tarentino violas imitata veneno[4].

[1] A Vergilio Romano et quibusdam aliis scriptae. Plinius, *Epist.*, V, 3, 2 : « Comoedias audio. » — Cf. supra, p. VIII, *annot.* 1. — [2] Iuvenal., I, 3-4. — [3] Horatius, *Epist.*, II, 1, 186 sq. — [4] Horat., *Epist.*, II, 1, 206-207.

Quin, Cicero ante Horatium, idem depravatum populi iudicium fere iisdem verbis vituperans, armaturam variam peditatus et equitatus in aliqua pugna, sexcentos mulos in Clytaemnestra aut in Equo Troiano craterarum tria millia irridebat[1]. Quae quidem, Ciceronis temporibus, nondum sapientibus afferebant delectationem, sed popularem iam admirationem habebant; neque multo post, Horatio teste, eos ipsos qui adhuc inter delicatos iudicio spectatores ducebantur, haec contagio infectura eademque spectaculi vitia delectatura erant. Reipsa populus romanus nunquam sponte sua et sine quodam conatu ad delicata mentis gaudia se attollere potuit; oblectamentis rusticis et ad sensus pertinentibus potius erat propensus; huc, quando non intendebat animum, semper revolvebatur. Post Augustum

migravit ab aure voluptas
Omnis ad incertos oculos et gaudia vana[2];

sed longo iam ex tempore natura Romanos in hanc partem trahebat. Itaque mimus incredibiliter viguit, non solum quia multum obscenitatis, sed quia aliquid quoque saltationis ei inerat et ad pantomimorum artem quiddam accedebat. Ab origine enim saltabant planipedes non minus quam ridicule loquebantur.

Quae ars pantomimorum mox pleraque scaenica genera sibi adiunxit et sua fecit. Cum enim omnia per saltationem facile probarentur, scriptores hoc auxilio uti festinaverunt et veteres tragoedias comoediasve novae arti ab histrione Pylade excogitatae accommodaverunt. Tragoedias ab Augusti temporibus saltatas fuisse inter omnes constat : Statius poeta, ne fame moreretur, Agaven suam pantomimo Paridi vendebat[3]. Erant ergo tragoediarum saltatores vel gesticulatores, sicut Pylades ille et Hylas discipulus eius et Paris et alii. Sed comoedias quoque verisimile est fuisse saltatas; nam accepimus, praeter hanc seriam gravemque saltationem, alteram exstitisse festiviorem et velociorem[4] : in qua Bathyllus, Maecenatis deliciae, excellebat. Imo, Tertullianus quodam loco de Atellano gesticulatore loquitur[5]. Quid est igitur mirum, si Togatae eamdem sortem expertae sunt quam haec alia genera, id est in gesticulationem quoque ceci-

[1] Cicero, *ad Famil.*, VII, 1. — [2] Horat., *Epist.*, II, 1, 187-188. — [3] Iuven., VII, 92. — [4] Plutarch., *Quaest. conv.*, VII, 8. — [5] Tertull., *de Spect.*, XVII.

derunt? Quod a Plinio confirmatur qui tradit Stephanionem, fere iisdem temporibus, primum Togatas saltare instituisse [1]. Ex quo concludimus non hunc solum saltavisse, sed alios fuisse histriones qui exemplum imitarentur, et saltationem Togatarum in consuetudinem vertisse.

Hic consistamus; neque enim licet longius progredi, neque, si liceret, quidquam interesset: iam fabulae togatae fata sua impleverunt. Florente Afranio, aliquantisper claro lumine fulserunt; non autem habebant unde in theatro, suis saltem ipsarum solis viribus, diu valere possent. Aut, e scaena exactae, in recitationibus suum locum habuerunt, aut, si perstabant in scaena, misceri saltationibus et parum gloriose inter pantomimorum ludos exstingui sunt coactae. Quanquam igitur scriptores Togatarum non sine laude fuerunt, unus etiam ex iis multum ingenio eminuit, inceptum tamen ad irritum cecidit. Quo modo et quibus de causis hic casus evenerit, superioribus paginis narrare tentavimus.

[1] Plinius, *Nat. Hist.* , VII, 49.

ERRATA

P. xi, lin. 1. — Loco : « scilicet » lege : « videlicet ».
P. 2, l. 25. — « intelligendum » « intellegendum ».
P. 5. l. 17. — « Tabernarias » « Tabernariis ».
P. 8, l. 27. — Post verba « de omnium anxietate » adde « in fabulis ».
P. 10, l. 7. — Lege : « in quo ».
P. 19, l. 17. — Loco : « arcte » lege : « arte ».
P. 20, l. 11. — « Nemore ipsa ». « Nemo reipsa ».
P. 22, l. 2. — « homines » « viros ».
P. 24, l. 6. — « praeclari » « praeclare ».
P. 24, l. 22. — « esse secutos » « secutos esse».
P. 30, l. 9. — Tollatur : « ut diximus ».
P. 30, l. 22-23. — Loco : « adolescentia » lege : « adulescentia ».
P. 31, l. 8. — « ac commodatus » « accomodatus ».
P. 33-39, ad titulum. — Loco : « AUTORIBUS » lege : « AUCTORIBUS ».
P. 34, l. 31. — Loco : « Attium » lege : « Accium ».
P. 37, l. 29. — « ipse negabat » « negabat ipse ».
P. 42, l. 21. — « fierent, alliciebant » « fierent alliciebant ».
P. 43, l. 5. — « praetermi sissent » « praetermisissent ».
P. 45, ann., l. 7. — Loco : « trajecit » « traiecit »
P. 46, l. 2. — « composita fuisse » « fuisse composita »
P. 46, l. 3. — Tollatur : « quando ».
P. 48, l. 13. — Lege : « irridet ».
P. 48, ann., l. 11. — Lege : « fervit. ».
P. 49, ann., l. 10. — Lege : « Donat., ».
P. 51, l. 23. — Lege : « eliciendam ».
P. 51, l. 24. — Loco : « adspersam » lege : « aspersam ».
P. 53, l. 24. — Loco : « hariolus » lege : « ariolus ».
P. 55, ann., l. 1. — Lege : « Poésie ».
P. 56, l. 33. — Loco : « adolescentes » lege : « adulescentes ».
P. 59, l. 29. — Loco : « quae bona'est » lege : quae bona'st ».
P. 60, l. 20. — « imperium in te »... ;
P. 63. l. 10. — Lege : absoluta est ».
P. 72, l. 18. — Loco : « Jupiter » lege : « Iupiter ».
P. 74, l. 32. — « lubet » « libet ».
P 75, l. 15. — « secundiis » « secundis ».
P. 78, ad titulum. — Loco : « TAGATA » lege « TOGATA ».
P. 81, l. 10. — Lege : « quam penitus familia quaedam ».
P. 82, l. 28. — Lege : « libere pro se loquuntur confidenterque ».
P. 84, l. 5. — Loco : « jubetur » lege : « iubetur ».
P. 91, l. 5. — « adolescens » « adulescens ».
P. 94, l. 5. — « ante exponunt oculos » « ante oculos exponunt ».
P. 95, l. 14. — « copiossimus » « copiosissimus ».
P. 98, l. 1. — « se habere » « se habere. ».
P. 104, l. 1 — « prigritia » « pigritia ».
P. 108, l. 1. — « jactata » « iactata ».
P. 108, l. 10. — « jacentem » « iacentem ».
P. 114, l. 7. — « recordabatur » « meminerat ».
P. 115, l. 10. — « romanas » « romanas ».
P. 117, l. 12. — « quae » « quas ».
P. 119, l. 7. — « fama poetae » « poetae fama ».
P. 119, ann., l. 3. — Loco : « isolentique » « insolentique ».
P. 121, l. 27. — Lege : « mox Agaven ».

INDEX RERUM

Typis Mandetur:

Academiae Parisiensis rector,

GRÉARD.

Vidi ac perlegi:

Lutetiae Parisiorum, in Sorbona

a. d. IX Kal. Feb. anni MDCCCXCIX,

Facultatis Litterarum in Universitate decanus,

A. CROISET.

TOURS, IMPRIMERIE DESLIS FRÈRES

Tours, imprimerie Deslis Frères, rue Gambetta, 6.